

EDUARDUS WUENSCHEL.

DE IMMACULATA CONCEPTIONE  
EIUSQUE RELATIONE AD MARIAE  
MORTEM ET ASSUMPTIONEM IN DOCTRINA  
S. ALFONSI

Sane quidem decet, hoc anno mariano insignes commemorare Doctores, qui saeculis praeteritis de Immaculata Conceptione asserenda et vindicanda optime meruerunt, eiusque definitioni dogmaticae viam straverunt. Inter quos eminet S. Alfonsus Maria de Ligorio, addictissimus acerrimusque Deiparae cultor ac praeco, qui hoc excelsum illius privilegium pro viribus propugnavit, multisque suis scriptis in medio Ecclesiae adhuc illustrat et confirmat, et eo opportunius quidem, quod omni alio Doctore nostris temporibus est propinquior. Immo Pius IX in Litteris Apostolicis, quibus S. Alfonsum titulo auxit Doctoris universalis Ecclesiae, declarare non dubitavit, ea, quae ab ipso de Immaculata Conceptione solemniter sancita sunt, in Alfonsi operibus reperiri et nitidissime exposita et validissimis argumentis demonstrata (1).

Quapropter saeculo expleto, ex quo Pius IX definivit, Dei Genitricem fuisse sine ulla peccati originalis labe conceptam, operae pretium erit Doctoris Zelantissimi doctrinam de hoc dogmate recensere et pro meritis aestimare. Quod coram hoc congressu mariologico eo magis fieri convenit, quod idem Summus Pontifex, opera omnia S. Alfonsi, sicut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in omnibus ecclesiasticis institutis, studiis et exercitationibus citari, proferri atque, cum res postulaverit, adhiberi voluit et decrevit (2).

---

(1) Litt. Apost. *Qui Ecclesiae suae*, ASS, VI (1871), 321.

(2) *Ibid.*, p. 323.

## I. DE DEBITO PECCATI ORIGINALIS

In sua disputatione de Concilii Tridentini decreto de peccato originali, S. Alfonsus tractat quaestionem: Utrum Beata Virgo debitum peccati originalis contraxerit (3), cuius disceptatio ad clariorem intelligentiam ipsius Immaculatae Conceptionis multum conferre potest. Theologum enim incitat, ut accuratius ponderet quomodo omnes homines in Adamo peccaverint, quaenam sit peccati originalis natura, et quam ratione generatio sit medium, quo protoparentis peccatum in posteros transmittitur; quibus melius perspectis, potest quis de debito peccati originalis respectu immaculatae Virginis prudentius iudicare, eiusque singulare privilegium majori luce perfundere.

Concilium Tridentinum quidem a memoratis quaestionibus dirimendis consulto abstinuit, ne in decernendis controversiis scholasticis implicaretur. Nihilominus ea, quae de peccato originali definita sunt, aliquam lucem quaestioni de debito afferunt, illique sedulo prae oculis habenda sunt, qui hanc quaestionem de Beata Virgine indagandam susceperit, ne forte aut per excessum aut per defectum peccet in re, de qua idem valet, quod S. Augustinus de ipso peccato originali dixit: «nihil est ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius» (4).

Quae in decreto tridentino rem nostram respiciunt, ad haec reducuntur. Primus homo Adamus, quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam non sibi soli sed nobis etiam perdidit; et inquinatus ille per inobedientiae peccatum non tantum mortem et poenas corporis in omne genus humanum transfudit, sed etiam peccatum, quod mors est animae. Hoc Adami peccatum, quod origine unum est et propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, atque in unoquoque veram et propriam rationem habet peccati; neque per humanae naturae vires, vel per aliud remedium tollitur, quam per meritum unius Mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos reconciliavit in sanguine suo (5).

(3) *Concilii Tridentini decreta et canones*, Disputatio II, Sessio V, *De peccato originali*, nn. 25-26. *Opera Dogmatica*, latine tradidit A. Walter, C.S.S.R., Romae 1903, t. I, pp. 493-94; cf. *Le Glorie di Maria*, parte II, Discorso I. *Dell'Immacolata Concezione di Maria*, punto III, *Opere Ascetiche*, Romae 1937, vol. VII, pp. 32-33, 513-19.

(4) *De moribus ecclesiae catholicae*, lib. I, cap. XXII, 40, PL 32, 1328.

(5) *Concilii Tridentini Actorum pars altera*, edidit Stephanius Ehes, Friburgi Brisgoviae 1911, t. V, pp. 238-39; Denz. 787-90.

Huic doctrinae definitae innixus, S. Alfonsus illas quaestiones solvere conatus est, quae post Concilium liberae discussionis remanebant, iisque potissimum inhaesit sententiis, quae in generalibus Concilii congregationibus communiter comprobatae fuerant, et quas Patres in textu definitivo redigendo respexerunt (6).

Juxta Tridentinum, peccatum originale est verum peccatum, quod omnibus inest unicuique proprium. Quodvis autem peccatum necessario est voluntarium, alioquin non haberet rationem culpae obligantis ad poenam. S. Alfonsus ergo ab hac quaestione exorditur, in qua totius mysterii latet ratio arcana: Quomodo peccatum originale est omnibus voluntarium et imputabile, quum in illo committendo nihil egerint propria voluntate? Solutionem his verbis resumit: «Hoc inter se differunt peccatum originale et personale, quod peccatum personale committitur voluntate physice propria, originale vero commissum fuit voluntate physice aliena, moraliter autem propria» (7).

Quod magis explicite declarat respondens objectioni Pelagianorum, quae in hac materia semper recurrit, parvuli nempe libero arbitrio non utuntur seu legis capaces non sunt, ergo nec praevaricationis. «At, inquit sanctus Doctor, quamquam capaces non sunt legis, quae voluntate physice propria violatur, capaces tamen sunt legis violandae voluntate moraliter propria in Adami voluntate, quae omnium hominum voluntates continebat» (8).

Sunt quibus non placeat iste modus loquendi, scilicet peccatum originale commissum fuisse voluntate moraliter nobis propria, seu voluntatem Adami omnium hominum voluntates continuisse. Revera tamen haec est terminologia inter veteres theologos usitata (9), et, dummodo recte intelligatur, rei propositae est aptissima.

Ad rem quod attinet, illae locutiones Adamum respiciunt quatenus erat generis humani principium et caput, atque hoc sibi volunt, quod Adamus omnium hominum personam gerebat, et eo quidem modo, ut ipso peccante et illi per vicarium suum peccaverint atque reatum et maculam ex debito ab illo contraxerint. Ex locis infra citandis patebit, S. Alfonso illas locutiones hoc sensu adhibere. Profecto idem dicit ac S. Augustinus, qui hanc

(6) *Opera Dogmatica, ibid.*, pp. 488-92; *Conc. Trid.* (Ehses), V, 199-209, 218-19; HEFEL-LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, Paris 1938, t. X, 1re partie, pp. 36-41.

(7) *Opera Dogmatica, ibid.*, p. 487.

(8) *loc. cit.*; cf. *Le Glorie di Maria, ibid.*, p. 33.

(9) Videsis e.g. locos auctorum a S. Alfonso citatos, *Le Glorie di Maria*, II, Appendice II, p. 514, 517.

ipsam rem multoties tractavit dum doctrinam catholicam de peccato originali contra Pelagianos vindicabat. Quapropter, quum S. Alfonsus solutionem quaestionis de debito peccati originalis in principio supra enuntiato reponat, multum proderit sensum illorum terminorum ex operibus S. Augustini breviter illustrare.

Verissimum est, ait Hipponensis, peccatum usque adeo voluntarium esse, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium (10); et ut sit voluntarium, omnino oportet ut a voluntate libera procedat (11). Quod ergo etiam de peccato originali valet: «Ex voluntate peccatum est ... prorsus et originale peccatum; quia et hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut et in illo esset, et in omnes transiret» (12).

Itaque peccatum originale etiam nobis voluntarium est, aliter tamen ac peccatum actuale; hoc enim propria voluntate committitur, et illius solius est qui peccat; originale vero sola Adami voluntate commissum est, omnium autem posterorum est quatenus protoparens peccans omnes in semetipso comprehendebat, ac si omnes unum eundemque hominem una cum illo constituerent: «certe manifestum est alia esse propria cuiusque peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt» (13). «Qui enim propterea peccavit, quia voluit, potuit et nolle peccare ... Sed aliud est originale peccatum, quod etsi trahunt sine voluntate nascentes, tamen per voluntatem primi hominis ipsa est origo vitiata» (14). Proinde de omni parvulo nascente ait: «traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo et in illo a quo traxit, quando quod traxit admissum est» (15). Qua ratione peccatum originale omnibus est voluntarium: «illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utuntur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo haereditarium» (16).

(10) *Retractionum* lib. I, cap. XIII, 5. PL 32, 604.

(11) *Opus imperfectum contra secundam Juliani responsionem*, lib. I, cap. XLI. PL 45, 1392-94.

(12) *De nuptiis et concupiscentiis*, lib. II, cap. XXVIII, 48. PL 44, 464; cf. *Contra Julianum*, lib. III, cap. V, 11. PL 44, 707; cap. XXIV, 55, col. 731; lib. VI, cap. X, 28, col. 756; *Opus imperfectum*, lib. III, cap. XCVII. PL 45, 1312; lib. IV, cap. XCI, 1392-93.

(13) *De peccatorum meritis et remissione*, lib. I, cap. X, 11. PL 44, 115.

(14) *Opus imperfectum*, lib. V, cap. XL. PL 45, 1477.

(15) *Epist.* 98, n. 1. PL 33, 360.

(16) *Retractionum* lib. I, cap. XIII, 5. PL 32, 604. Ad rem facit condemnatio duarum propositionum Baii: 46. «Ad rationem et definitionem peccati non pertinet volunta-

Illud S. Pauli: «sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt» (Rom. V 12), S. Augustinus ita interpretatur: «aut enim in illo homine peccaverunt omnes, et ideo dictum est, quoniam quando ille peccavit, in illo erant omnes; aut in illo peccato peccaverunt omnes, quia generaliter omnium factum est, quod nascentes tracturi erant omnes ... restat ut in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes quando ille peccavit» (17).

Pelagianis igitur objicientibus: Cur parvulis attribuitis peccatum, quum vos ipsi illos non teneatis peccati capaces, S. Augustinus respondit: «non eos proprietate voluntatis, sed origine reos esse. Omnis enim homo terrenus quid est origine, nisi Adam? Porro autem Adam habebat utique voluntatem, qua voluntate cum peccasset, peccatum per eum intravit in mundum» (18).

Et quando Pelagiani negabant parvulos habere peccatum per Baptismum illis remittendum, eadem semper erat responsio: Haud dubie habent peccatum, cuius rei sunt, non propria quidem voluntate, sed voluntate Adami: «quasi vero peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est reatu eius implicatos, et ob hoc poenae obnoxios deteneri, usquam esse potuit nisi in voluntate, qua voluntate commissum est, quando divini praecepti facta est transgressio» (19).

Peccatum originale ergo nobis est alienum simul et proprium, prout voluntas Adami peccantis nobis fuit aliena simul et propria: «Sic autem aliena sunt originalia peccata propter nullum in eis nostrae voluntatis arbitrium, ut tamen propter originis contagium esse inveniantur et nostra» (20). Ideo autem nostra sunt per originis contagium, quia «per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt, de quo

rium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.» 47. «Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit» (Denz. 1046-47).

(17) *Contra duas epistolas Pelagianorum*, lib. IV, cap. IV, 7. PL 44, 614; cf. *De peccatorum meritis et remissione*, lib. III, cap. VII, 14. PL 44, 194.

Quamvis S. Augustinus solum textum latinum respiciat, eius conclusio exegetice bene fundatur etiam ratione habita lectionis graecae: Ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, ex contextu enim constat sensum esse: eo quod Adamo peccante omnes peccaverunt. Quod ipse S. Paulus confirmat quum dicit: «In Adam omnes moriuntur» (1 Cor. XV, 22), reatum poenae significans, quem omnes in Adamo contraxerunt ex peccato, quod omnes in illo commiserunt.

(18) *Retractationum* lib. I, cap. XV, 5. PL 32, 610.

(19) *Ibid.*, n. 2, col. 608.

(20) *Opus imperfectum*, lib. I, cap. LVII. PL 45, 1079; cf. lib. III, cap. XXV, col. 1257.

propterea singuli peccatum originale traxerunt» (21). Et adhuc dissertius affirmat voluntatem Adami peccantis omnibus fuisse moraliter propriam: «Et isti ergo sua voluntate peccaverunt, quos in illo periisse dicis, qui sua voluntate peccavit» (22).

Has duas notiones intime connexas, sed probe distinguendas, S. Augustinus saepe exprimit: ex una parte, omnes in Adamo peccaverunt *quando* omnes ille unus homo fuerunt, qui sua foecunditate totam posteritatem in semetipso continebat; ex altera parte, omnes in Adamo peccaverunt *quatenus* ille unus, dum peccavit, voluntate sua omnium gerebat personam (23). Itaque hanc alteram exhibet ut veram et propriam rationem, qua omnes in Adamo peccaverunt et «antiqui debiti obligatione» devinciuntur; ut peccatum originale cum omnibus sequelis ab illo contrahant (24).

His positis, S. Augustinus etiam in hoc insistit contra Pelagianos, quod peccatum originale, ex Adami voluntate contractum, est peccatum habituale eodem modo; quo habitualis aversio a Deo in nobis remanet ex actuali peccato propria voluntate commisso: «Ideo quippe concedo non esse sine voluntate [agente] peccatum, quia sine voluntate non potest fieri. Sed alia ratione rursus recte dicitur, esse sine voluntate peccatum, quia manet, quamdiu non remittitur, etiam desistente voluntate qua factum est» (25). «Sic ergo peccatum quod esse sine voluntate non potest, manere sine voluntate potest. Itaque etiam peccatum Adae, quoniam ipsum est quod originaliter manet in posteris ejus, nisi quibus in Christo remittitur, profecto cum dicitur et in ipsis sine voluntate non esse, ad illius voluntatem refertur, qua factum est ut esset quod manendo et in posteris esset» (26).

En ergo sensus, quo S. Alfonsus locutiones illas increpatas adhibet: nos peccavimus voluntate Adami moraliter nobis propria, seu voluntas Adami peccantis omnium hominum voluntates comprehendit. Ex crebris S. Augustini expositionibus constat id, quod illis terminis significatur, implicitum esse in doctrina S. Pauli, qui non qualemcumque nostram unionem moralem cum protopa-

(21) *De nuptiis et concupiscentia*, lib. II, cap. III, 15. PL 44, 144.

(22) *Opus imperfectum*, lib. IV, cap. CIV. PL 45, 1400.

(23) Praeter locos jam citatos, cf. *Opus imperfectum*, lib. I, cap. XLVII. PL 45, 1069; lib. II, cap. VII, col. 1144; cap. CLXXIX, col. 1219; lib. IV, cap. LXXVI, col. 1382; lib. V, cap. XII, col. 1442; lib. VI, cap. XXII, col. 1554.

(24) *De gratia Christi et de peccato originali*, lib. II, cap. XXXI, 36. PL 44, 403; cf. *Contra Julianum*, lib. II, cap. II, 4. PL 44, 674; *Opus imperfectum*, lib. I, cap. XL. PL 45, 1065; lib. II, cap. XXX, col. 1196; lib. III, cap. CLVIII, col. 1312; lib. V, cap. VII, col. 1437.

(25) *Opus imperfectum*, lib. IV, cap. CXVI. PL 45, 1410; cf. cap. C-CIII, col. 1395-99.

(26) *Ibid.*, col. 1395.

rente exhibet, sed solidaritatem a Deo institutam, maxime intimam et omnino sui generis, quae omnia tempora superat et omnium hominum sortem implicat - magnum sane mysterium, quod captum intellectus humani excedit. Profecto erat vi huius solidaritatis quod omnes in Adamo peccaverunt, et mortem tum animae tum corporis in illo invenerunt (Rom. V 12-21; I Cor. XV 20-28). Quapropter Adamus per contrarietatem dicitur «forma futuri» (Rom. V 14), id est Christi novi Adami, in quo solidaritas adhuc intimior et sublimior constituenda erat, et de quo potiori iure dicere licet, eum morientem in cruce omnium hominum voluntates voluntate sua expiatoria et reconciliativa comprehendisse, voluntate quidem ita omnibus moraliter propria, ut jam in cruce omnes de jure et virtualiter redempti sint (26<sup>b</sup>).

Pro sua parte, S. Alfonsus rationem et modum, quibus omnes in Adamo peccaverunt, sic exponit.

Adamus erat caput morale totius generis humani in primaeva eius elevatione ad statum iustitiae originalis. Propterea sanctitatem et iustitiam non sibi soli sed nobis etiam accepit, ea vero lege conservandam, quod ille peculiari Dei mandato fideliter obtemperaret. Proinde Adamus, «quoad illud praeceptum a Deo sibi inunctum, non vescendi fructu vetito, voluntates omnium, qui sua stirpe essent oriundi, sua voluntate comprehendebat», ita ut suae voluntatis electio omnibus posteris imputabilis esset atque secum ferret naturae statum, aut prosperum aut infelicem (27). Adamo ergo mandatum Dei transgrediente, omnes in eo peccaverunt, «quatenus ut caput morale, quantum ad illud praeceptum observandum, universae posteritatis gerebat personam» (28).

S. Alfonsus non loquitur de pacto Deum inter et Adamum, quod, saltem ut a quibusdam explicatur, Deo parum convenire videtur. Econtra relationem Adami ad Deum, et relationem nostram ad Adamum in ordine ad statum naturae, totam attribuit liberrimae Dei dispositioni: «Deus siquidem pro supremo domino, quod in omnes creaturas habet, in Adami voluntatem quod ad illud praeceptum attinet, omnium hominum voluntates inclu-

(26<sup>b</sup>) S. ALFONSUS, *Pratica di amar Gesù Cristo*, cap. III, nn. 11-12. *Opere Ascetiche*, Roma 1933, Vol. I, p. 30; cap. IV, n. 3, *ibid.*, p. 33; *Saette di fuoco*, XXIII-XXIV, XXXIII, *ibid.*, pp. 354-55, 364; *Riflessioni sulla Passione di Gesù Cristo*, cap. I, nn. 11-17. *Opere Ascetiche*, Roma 1934, vol. V, pp. 190-95; cap. II, nn. 8-9, 17-20, *ibid.*, pp. 203-204, 209-210; cap. IX, nn. 11-19, *ibid.*, pp. 300-308.

(27) *Opera Dogmatica*, I, p. 487.

(28) *Ibid.*, p. 488.

serat. Quod utique declaratum fuit, quum diceretur, in Adami peccato peccasse omnes homines» (29).

Ergo secundum Doctorem nostrum, S. Augustino prorsus consentientem, ratio formalis, qua omnes homines in Adamo peccaverunt, haec est (ut verba eius lapidaria repetam): «quatenus ut caput morale, quantum ad illud praeceptum observandum, universae posteritatis gerebat personam». Quod optime cohaeret etiam cum decreto tridentino, ubi haec affirmantur: Adamus, quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, acceptam a Deo sanctitatem et justitiam non sibi soli sed nobis etiam perdidit; et peccatum Adami in nos transfunditur, omnibusque inest unicuique proprium. Protoparens enim non posset per transgressionem suam sanctitatem et justitiam nobis perdere, nec peccatum suum in nos transfundere ut nobis proprium, nisi nostrum esset caput morale et in actu peccandi vices nostras gereret. Unde sequitur quod eo ipso instanti, quo Adamus praevaricationem suam complevit, omnes illico coram Deo constituti sunt peccatores, peccato protoparentis jam inde a principio inquinati (30). Eadem ratione omnes merentur ut, quum existere incipiunt, justitia originali priventur; seu debito obstringuntur, ut eo instanti peccatum originale contrahant.

Hoc debitum ergo necessariam connexionem habet cum peccato, et nihil non deforme et turpe prae se fert; necessario enim ex personali Adami peccato oritur, et posteros ad peccatum originale contrahendum ineluctabiliter cogit. Et singulas personas afficit, nam sicut ipsum peccatum originale de facto contractum omnibus inest unicuique proprium, ita debitum unumquemque obligat ad peccatum originale in semetipsum contrahendum in primo momento existentiae suae.

S. Alfonsus debitum peccati originalis solum hoc sensu intellectum ut verum debitum agnoscit, minime sollicitus de «tota silva portentosa distinctionum et rationum de debito, de debito proximo et remoto et remotissimo, de debito debiti, de debito physico, morali, absolute, simpliciter, secundum quid, immediate, mediate, et ita porro» (30<sup>b</sup>), quas theologi invenerunt eo praecipue fine, ut Beatam Virginem aut debito peccati originalis implicarent aut ab illo eximerent, quibus vero confusionem potiusquam lucem quaestioni de ipso debito attulerunt.

(29) *loc. cit.*

(30) *Ibid.*, p. 487.

(30<sup>b</sup>) C. BALIĆ, *De debito peccati originalis in B. Virgine Maria. Investigationes de doctrina quam tenuit Joannes Duns Scotus*, Romae 1941, p. 99.

Adamus quidem erat etiam generis humani caput physicum, quatenus ut protoparens totam naturam humanam foecunditate sua virtualiter in se continebat, et omnes homines via seminali ab illo oriuntur. Haec autem relatio Adami ad genus humanum, quum sit naturalis, de se non afficit nostram relationem ad Deum auctorem gratiae et finem nostrum supernaturalem. Hac ratione ergo non peccavimus in Adamo, secus noxii essemus omnium peccatorum, quae ipse per totam vitam commiserit (31). Attamen Adami primatus in ordine physico aptum fundamentum praebuit officii eius capitalis in ordine ad justitiam originalem ut dotem naturae accipiendam, eamque libera sua electione aut conservandam aut perdendam. Ita secundum pristinam Dei ordinationem, Adamus una cum tota posteritate quoddam corpus mysticum constituit, unum secundum originem et specificam naturae identitatem, et vivum vita supernaturali, quae una cum natura ab uno capite in omnia membra derivanda erat. E converso per transgressionem ipsius capitis totum illud corpus in deterius commutatum est, venumdatum sub peccato (Rom. VII 14) et illius potestati subditum, qui mortis habet imperium (Hebr. II 14).

Praeterea ex eo quod unus et idem protoparens erat totius generis humani caput physicum simul ac caput morale, consequitur quod peccatum originale per generationem in posteros transfunditur, sicut justitia originalis eodem medio omnibus communicata esset, si Adamus Deo fidelis remansisset. Unusquisque homo, quia jam in Adamo peccavit, peccatum originale sibi debitum in propriam personam contrahit eo ipso quod ab Adamo ratione seminali oritur, et quidem eo ipso instanti, quo ut filius Adami in utero concipitur (32).

Hic summo studio attendendum est, generationem non esse causam peccati originalis, sed solum medium, quo unusquisque propriam injustitiam aliunde sibi debitam de facto contrahit (33).

(31) *Opera Dogmatica*, I, p. 488.

(32) Concilium Tridentinum, sessio VI, *Decretum de Justificatione*, cap. 3: « revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant » (*Conc. Trid.* [Ehses], V, 792, Denz. 795).

(33) « Non sunt nuptiae causa peccati, quod trahitur a nascente, et expiatur in renascente; sed voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati » (S. AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia*, lib. II, cap. XXVI, 43. PL. 44, 461). « Causam mali originalis, nec conjugium esse, nec adulterium, satis res ipsa declarat: quoniam, id quod bonum est in natura hominis, Deo creante ex homine nascitur; et id quod malum habet propter quod renasci debet, ex homine trahitur. Causa porro huius mali est, quod per unum hominem peccatum intravit in mundum... Redi ergo ad causam operis mali, et invenies voluntatem malam: redi ad causam originalis mali, et invenies primi hominis voluntatem malam, et ea vitiata naturam bonam » (*Opus imperfectum*, lib. V, cap. XXI.

Quod S. Alfonsus ita declarat: «peccatum originale ... materialiter in homines cum ipsa generatione transmittitur» (34); et articulum S. Thomae allegat, in quo Angelicus affirmat: «per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, et simul cum natura naturae infectio» (35); item, «etsi culpa non sit actu in semine, est tamen ibi virtute natura humana, quam comitatur talis culpa» (36).

Proinde ex generatione in se sumpta nihil incurritur debiti moralis, nec ulla contrahitur macula peccati, quum medium nihil efficere possit nisi ex influxu ipsius causae. Unde S. Thomas in eodem articulo a S. Alfonso citato: «illud quod est per originem, non est increpabile, si consideretur iste qui nascitur secundum se, sed si consideretur prout refertur ad aliquod principium, sic potest esse ei increpabile: sicut aliquis qui nascitur patitur ignominiam generis ex culpa alicuius progenitorum causatam» (37). In nostro autem casu principium, ad quod homo nascens refertur, est protoparens, cuius culpa reus est ille ipse qui nascitur, et a quo verum et proprium peccatum contrahere obstringitur propter connexionem cum principio culpabili.

Ad questionem de debito in Beata Virgine transiens, S. Alfonsus citat S. Robertum Bellarminum ut fautorem sententiae, quae affirmat Mariam peccati originalis debitum habuisse (38). Et re quidem vera insignis ille fidei catholicae propugnator, non obstante ardenti eius devotione erga Dei Genitricem, cum multis coaevs illi sententiae quasi compulsus subscripsit, quia, ut ipse fatetur, secus intelligere non valèbat quomodo Maria redempta sit. Ille vero, pro sua sinceritate et ingenii sui acumine, candide et sine ambagibus exposuit consequentias ex illa sententia necessario profluentes, quas alii fautores eiusdem sententiae praeterire vel extenuare vellent.

Omnes, inquit, in Adamo peccaverunt et reatum voluntarium ab illo contrahunt, quatenus ille in transgressione sua omnium gessit personam (39). Porro Maria eandem relationem ad Adamum

---

PL 45, 1455-56). Cf. etiam *ibid.*, lib. I, cap. LXI, col. 1081; lib. II, cap. XLII, col. 1159-60; *Contra Julianum*, lib. III, cap. V, 12. PL 44, 708; cap. XXI, 46, col. 725; cap. XXIII, 53, col. 730; lib. IV, cap. I, 5, col. 738.

(34) *Opera Dogmatica*, I, p. 488.

(37) *Ibid.*, ad 5.

(35) S. Th. I-II, qu. 81, art. 1, ad 2.

(38) *Opera Dogmatica*, I, p. 493.

(36) *Ibid.*, ad 3.

(39) *De amissione gratiae et statu peccati*, lib. IV, cap. X. *De controversiis*, Venetijs 1721, t. IV, p. 119.

peccantem habuit ac caeteri homines, ideoque non secus ac caeteri et ipsa in Adamo peccavit, polluta fuit, natura filia irae facta est, aliquo modo mortua fuit morte peccati, ac per hoc obnoxia fuit ut, quando esse inciperet, re ipsa peccatum sibi debitum in se contraheret. Quapropter toto illo tempore, quo erat in lumbis Adami et caeterorum suorum progenitorum, hoc debito coram Deo onerata et maculata erat, et hac de causa ipsum peccatum certo contraxisset, nisi in sua conceptione ab illo de facto contrahendo singulari privilegio praeservata fuisset. Immo in primo existentiae momento logice distinguendum est instans rationis, quo Beata Virgo gratia fuit indigna, quae indignitas instanti rationis sequenti, adveniente gratia, deleta est. Hoc solum est, concludit S. Bellarminus, in quo Maria a caeteris differt (40).

Ab hac sententia S. Alfonsus modeste dissentit et simpliciter negat, Mariam debitum peccati originalis habuisse, hac innixus ratione: «quum Deus nobilissimam hanc creaturam gratiae suae donis prae hominum vulgo magnopere distinxerit, pie credi posse, eum voluntatem Mariae non inclusisse in Adami voluntate; atque ita factum esse, ut etiam a peccati debito contrahendo fuerit immunis» (41).

In sua oratione dogmatica de Immaculata Conceptione, ubi idem argumentum proponit, mens eius clarius patet ex contextu (42). Totus in eo est, ut Mariae immunitatem ab ipso peccato originali demonstret, quod accurate distinguit a debito illud con-

(40) *Ibid.*, cap. XVI, pp. 132-35. Attente notandum est quod animadvertit C. BALÉ: «ob eandem rationem ob quam saeculo XIII negabatur Immaculata Conceptio, inde praesertim a saec. XVI usque ad hos nostros dies theologi valde communiter docent B. Virginem, licet actu non habuerit peccatum, tamen debitum peccati incurrisse. Nostris scilicet diebus, sicut iam saec. XIII, vocabulum 'redemptio' analysi subiicitur, et describitur quomodo Christus Matrem suam non potuisset liberare a servitute diaboli — et quidem dato pretio, unde actus ille est vera emptio (re-emptio), — nisi Maria aut peccatum aut debitum peccati habuisset» (*op. cit.*, p. 102).

Ideo cl. auctor quaerit, num ipsum factum quod illa assertio doctorum saec. XIII: «B. Virgo contraxit peccatum originale», in propositionem: «B. Virgo habuit debitum peccati originalis», conversa fuerit, indicium quoddam non sit quod «debitum», de quo inde a saec. XVI sermo fit, «aliquoties in se continere possit aliquid minime admittendum in Matre Dei» (*ibid.*, p. 103).

Sententia affirmativa de debito in B. Virgine non est sine consequentia quantum ad ipsam notionem Immaculatae Conceptionis, quam quis inde deducere potest. Qui enim sentit Mariam, non secus ac caeteri homines, peccatricem in Adamo constitutam fuisse, ita ut peccatum originale ipsi immineret ut sibi debitum, ille etiam censere potest, primam Mariae gratiam essentialiter non distulisse a gratia Baptismi, si haec cuivis filio Adami per privilegium collata esset in primo instanti conceptionis. Mariae privilegium erat aliquid Deo et Deipara magis dignum.

(41) *Opera dogmatica*, I, p. 494.

(42) *Le Glorie di Maria*, II, p. 33.

trahendi; quum tamen per debitum Maria coram Deo peccatrix extitisset, et inde a principio obstricta esset ad peccatum originale in se contrahendum ut sibi proprium, S. Alfonsus censet Deo congruisse, illam etiam a debito immunem servare ob easdem rationes altissimae convenientiae, quae eius immunitatem ab ipso peccato originali tantopere suadent: potuit, decuit, ergo fecit. Si non subintraret difficultas de Mariae redemptione congruenter explicanda (de qua infra), nemo est qui valorem huius argumenti negaret.

Alio modo, et quidem fortiori ratione, eruitur Mariae immunitas a debito peccati originalis ex doctrina S. Alfonsi de eius praedestinatione una cum Christo, ostendendo in Maria defuisse illam ipsam relationem ad Adamum, propter quam caeteri eiusmodi debitum contraxerunt.

Primo praemittitur, juxta aeternum Dei decretum, Mariam ea sola de causa creatam fuisse, et in ipsa sua Conceptione immensa donorum divinorum copia cumulata, ut esset Mater Verbi incarnati eiusque socia in opere Redemptionis peragendo.

Quoad Beatae Virginis electionem et ordinationem ad divinam maternitatem, S. Alfonsus asseverat, profecto dubitare non licere, eodem decreto, quo statutum fuit ut Verbum aeternum homo fieret, illi simul destinata fuisse matrem, a qua naturam humanam assumeret (43). Maria ergo ne existeret quidem, si Verbum incarnandum non esset.

S. Alfonsus vero magis in hoc insistit, quod Maria ab aeterno praedestinata est, ut tamquam socia Christi magnum negotium humanae salutis obiret tum ut Corredemptrix, tum ut Mediatrix omnium gratiarum (44). Cum Gulielmo Parisiensi ergo Deiparam ita alloquitur: «Totum siquidem quod habes gratiae, totum

(43) « in verità non può dubitarsi, che nello stesso tempo che ne' divini decreti fu predestinata la persona del Verbo Eterno a farsi uomo, gli fu ancora destinata la madre, da cui doveva egli prendere l'essere umano » (Discorso II. *Della Nascita di Maria, Glorie*, II, p. 48). « l'elesse per sua madre nel volersi far uomo per redimere il mondo » (Discorso IV. *Della Annunziazione di Maria, ibid.*, p. 82). Cf. Discorso VI. *Della Purificazione di Maria, ibid.*, p. 130; *Meditazioni per le feste di Maria, ibid.*, p. 467.

(44) « In oltre ben convenne che l'Eterno Padre la creasse in sua grazia, poichè la destinò per riparatrice del mondo perduto, e mediatrice di pace tra gli uomini e Dio » (*Glorie*, II, p. 10). Eodem loco sua facit haec praeclara S. Joannis Damasceni: « Vitam naturam potiozem habebis. Habebis autem non tibi ipsa; quippe quae non tui ipsius causa genita sis. Quocirca Deo hanc habebis, cuius gratia in mundum prodiisti, ut orbis universi salutis obsequaris; Deique antiquum consilium, nimirum incarnationis Verbi ac nostrae deificationis, per te impleatur » (*In Nativitatem B.V.M.* hom. I, 9. PG 96, 675).

quod habes gloriae, et etiam hoc ipsum quod Mater es Dei, si fas est dicere, peccatoribus debes: omnia enim haec propter peccatores tibi collata sunt» (45).

Secundo praemittitur sententia de causa finali Incarnationis, quam S. Alfonsus cum longe maiori parte theologorum amplectitur et defendit (46). Secundum hanc sententiam, vi aeterni decreti praesentem ordinem praefinientis, Redemptio generis humani ita est finis Incarnationis, ut, si Adamus non peccasset, Verbum incarnatum non fuisset.

S. Alfonsus quidem bene cognovit et ex professo discussit sententiam tam scotistarum, quam eorum qui tenent, Deum primaria intentione decrevisse Christum non solum secundum substantiam, sed etiam secundum circumstantiam carnis passibilis

(45) *Sopra la Salve Regina*, cap. VI, 3, *Glorie*, I, p. 236. GULIELMUS Alvernus seu Parisiensis, *De rhetorica divina* (de arte orandi), cap. XVIII. *Opera*, Aureliae et Parisiis 1674, t. I, p. 357, col. 2.

Nemo est qui ignoret, S. Alfonsum strenue sustinuisse, Mariam esse Thesaurariam et Dispensatricem omnium gratiarum; sunt tamen qui negent, eum docuisse Mariae cooperationem immediatam in ipsa Redemptione objectiva. (Auctores vide apud C. DILLENSCHEIDER, C.S.S.R., *La Mariologie de S. Alphonse de Liguori*, II. *Sources et Synthèse doctrinale*, Fribourg (Suisse) 1934, p. 135; *Marie au service de notre Redemption*, Hagenau (Bas Rhin) 1947, p. 124; J. B. CAROL, O.F.M., *De Corredemptione Beatæ Virginis disquisitio positiva*, Civitas Vaticana 1950, pp. 361-62). At ex multis locis accurate collatis sat clare constat, sanctum Doctorem munus Corredemptricis sensu stricto Mariae attribuisse, illudque nexu organico colligasse cum eius officio omnes gratias per suam intercessionem dispensandi. Cf. C. DILLENSCHEIDER, *La Mariologie de S. Alphonse*, II, pp. 122-53; *Marie au service*, pp. 123-29; *Le problème du comérite médiateur de la Vierge dans l'économie divine*, Auxerre 1936, pp. 15-16. Extrait du *Bulletin de la Société Française d'Études Mariales* 1936; *Pour une Corredemption mariale bien comprise*, Rome 1949, pp. 79-84; F. X. GOBBS, C.S.S.R., *De defribilitate meditationis universalis Dei paræ. Disquisitio theologica juxta doctrinam S. Alphonsi*, Bruxellis 1904, pp. 51-52, 54-57, 210-19, 422-23; A. M. SANTONICOLA, C.S.S.R., «La Maternità spirituale di Maria Vergine nella dottrina e secondo lo spirito di S. Alfonso M. dei Liguori», *Ephemerides Mariologicae*, III (1953), 178-84; G. M. ROSCHINI, O.S.M., «La Corredemptrice dans les écrits de S. Alphonse M. de Liguori», *Marie*, V (1951), 73-81.

(46) *De D. N. Jesu Christi Praedestinatione dissertatio*, edidit G. M. van Rossum, C.S.S.R., *Opera Dogmatica*, II, Appendix II, pp. 739-54; cf. C. DILLENSCHEIDER, *La Mariologie de S. Alphonse*, II, pp. 65-76. Sententia, quam S. Alphonsus in hac dissertatione ex professo et in extenso exponit et defendit, in aliis eius operibus constanter recurrit: *De divina revelatione considerationes*, cap. II, n. 42. *Opera Dogmatica*, II, p. 523; *Dissertationes theologicae morales de iis quæ ad vitam aeternam pertinent*. Dissert. VIII, VII, n. 34, *ibid.*, p. 612; *La Vera Sposa di Gesù Cristo*, t. II, cap. XXII, 1, n. 6. *Opere Ascetiche*, Romæ 1935, vol. XV, p. 337; *Discorsi per la Novena di Natale*, Monza 1826, Discorso I, pp. 257-80; *Apparecchio alla morte*, consid. XXXIII, punto II, p. 397; *Condotta ammirabile della Divina Provvidenza in salvar l'uomo per mezzo di G. Cristo*, Ristretto dell'opera, p. 11; parte II, cap. V, n. 2, p. 192; *Sermoni compendiali*, vol. I, serm. XXIX, punto II, pp. 9-10.

Hilarius Parisiensis, qui omnium Patrum, Doctorum et theologorum perscrutatus est sententiam de motivo Incarnationis, haec habet de momento S. Alfonsi: « Tandem S. ALFONSUS A LIGORIO, inter Sanctos ultimus magister, et quidem pro sua antiquitatis eruditione et sapienti opinionum delectu eximius scriptor, veterum sententiae adhaeret... cum Ss. Thoma a Villanova, Laurentio Justiniano, Bernardino, Thoma, Bonaventura, Antonio, Gulielmo Parisiensi, et cum Petro Cellensi, Eadmero et ipso Ruperto, clarum jungit suffragium multis testimoniis expressis Ss. Patrum » (*Cur Deus homo*, Lugduni 1867, pars I, cap. IV, art. 2, n. 11, citatum a G. van Rossum, *op. cit.*, p. 742).

et in ratione Redemptoris, et simul eodem decreto voluisse permissionem peccati Adami et redemptionem generis humani; ita ut Christus esset finis *cuius gratia* permissionis peccati et redemptionis, et genus humanum esset finis *cui*. Ipse sanctus Doctor vero, in propria sententia efformanda, a speculatione aprioristica abstinuit, et secundum principium a S. Thoma enuntiatum (47) argumentum fundamentale ex sacra Scriptura desumpsit, quod his verbis compendiose declaravit: «Quum ex una parte sacra Scriptura certo dicat, Christum praedestinatum esse ut hominum peccato mederetur; ex alia autem parte nullus detur Scripturae locus (qui saltem clarus sit), ex quo inferri possit, Christum ante homines et ante permissionem eorum peccati fuisse praedestinatum, quid causae est, cur ante hominum creationem decretam fuisse dicamus Incarnationem et hominum Redemptionem» (48).

Finem primum et supremum quod spectat, quum agatur de opere divino ad extra, alius esse non potuit quam ipse Deus et gloria eius (49). «Itaque ad gloriam Dei praeordinata fuit et hominum creatio et praedestinatio Christi; Christus vero in tantum fuit praedestinatus, in quantum esse debebat Redemptor; et in tantum Redemptor esse debebat, in quantum redimendum ei erat peccatum; quo fit ut, sublato peccato, non fuisset Christus, neque ut Redemptor neque ut homo» (50).

Conclusio patet. Quum Maria praedestinata sit una cum Christo ad Redemptionem generis humani consequendam, comprehensa non fuit cum caeteris hominibus in decreto de praecedente elevatione ad statum iustitiae originalis, neque Adamum habuit ut caput morale in eius transgressione, seu, ut ait S. Alfonsus, Mariae voluntas inclusa non fuit in voluntate Adami. Quapropter debitum peccati originalis a protoparente non contraxit, nec contrahere potuit, nisi Deus decreto retroactivo, ut ita dicam, Matrem suam electam Adamo peccanti subjiceret, quod sat absurdum esse videtur.

Vis huius argumenti dependet a sententia de motivo Incarnationis a S. Alfonso propugnata. Haec sententia autem firmiter fundatur in sacra Scriptura sincere et cohaerenter interpretata, auctoritate multorum Patrum et Doctorum fulcitur, et communior est inter theologos. Denique praeclare communita est a

(47) III Sent. dist. I, qu. 1, art. 3, resp.; S. Th. III, qu. 1, art. 3.

(48) *Opera Dogmatica*, II, p. 745.

(49) *Ibid.*, 748.

(50) *Ibid.*, p. 749.

Pio IX in ipsa Bulla, qua Immaculatam Conceptionem definivit. Immo Summus Pontifex non solum hanc sententiam de motivo Incarnationis confirmavit, sed utramque praemissam argumenti ex operibus S. Alfonsi desumpti verbis non ambiguis affirmavit.

Pius IX sic exorditur: «Ineffabilis Deus ... cum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit per Verbi Incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo feliciter erigeretur, ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo matrem; ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur; elegit et ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit» (51).

Praeterea declarat, Beatae Virginis primordia, eius nempe singularem, miram et omnino sanctam Conceptionem, a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, fuisse uno eodemque decreto cum Verbi Incarnatione praestituta (52).

Denique affirmat, Deum, quum remedia renovandis mortalibus praeparata praenuntiavit, ipsissimas tam Christi quam Mariae contra diabolum inimicitias insigniter expressisse. Quas sempiternas inimicitias Beata Virgo, arcissimo et indissolubili vinculo cum Christo conjuncta, una cum illo et per illum exercitura erat (53).

Quorum sensus dubitationem non patitur. Deus ab initio et ante saecula Mariam Unigeniti Filii sui Matrem et sociam in opere Redemptionis elegit et ordinavit, eiusque primordia uno eodemque decreto cum Verbi Incarnatione praestituit, *quum ab omni aeternitate praeviderit* generis humani ruinam ex Adami peccato derivandam, et *quum decreverit* primum suae bonitatis opus, id est elevationem generis humani ad statum justitiae originalis, per Verbi Incarnationem complere, ut quod in primo Adamo casurum erat, in secundo feliciter erigeretur. Ergo in intentione Dei, primaeva generis humani elevatio, protoparentis peccati praevisionis, et decretum de homine redimendo praecesserunt illud unum

(51) *Pii IX Acta*, pars I, Romae 1854, p. 597.

(52) *Ibid.*, p. 599.

(53) *Ibid.*, p. 607.

et idem decretum, quo Deus Mariae primordia una cum ipsa Incarnation praestituit.

Hinc necessario sequitur, Mariam nullo modo debitum peccati originalis ab Adamo contrahere potuisse, quum una cum Redemptore praedestinata sit post Adami peccatum praevium et ad illud una cum Christo reparandum.

Quae conclusio eo amplius confirmatur, quod Pius IX declarat, Deum in eodem aeterno decreto, quo Mariam Filii sui Matrem elegit et ordinavit, illam «tanto prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit». Quod certo dicere non posset, si Deus Mariam praevidisset cum caeteris hominibus peccatricem in Adamo constitutam debitoque obstrictam, ut protoparentis peccatum in propriam personam contraheret.

Suo tempore S. Alfonsus sententiam negativam de debito peccati originalis in Beata Virgine probabilem habuit et pie credibilem, id est veritatibus revelatis et doctrinae Ecclesiae consentaneam; atque praeter rationes allatas, huic sententiae etiam ideo adhaesit quia Dominae suae magis gloriosa est (54). Hodie haec sententia majorem probabilitatem habere videtur, eo quod veritates, cum quibus quaestio de debito peccati originalis colligatur, melius perspicuntur.

(54) « Questa opinione è solamente probabile, ed a questa io aderisco come più gloriosa per la Signora mia » (*Glorie*, II, p. 33). Quid simile habetur apud Ferdinandum Salazar, S.J. († 1646), in Complutensi Collegio sacrarum litterarum interpretem, quem S. Alfonsus inter fautores sententiae negativae de debito allegat. Iste fatetur quod sententiam contrariam facile praeferret et in illa sisteret, nisi Sacra Inquisitio, decreto die 22 Januarii 1616 Matri dati, affirmasset sine injuria fidei sustineri posse, B. Virginem a debito peccati originalis liberam fuisse: « quis autem (sic ille) Deiparae benevolus amator sit, qui, quamdiu ita liceat, de Virgine digniora non semper concipiat ac data opportunitate digniora loquatur? » (*Pro Immaculata Deiparae Virginis Conceptione defensio*, Compluti 1618, cap. XV, I, n. 1, p. 91; cf. cap. VIII, III, nn. 20-27, pp. 53-55, de decreto S. Inquisitionis et concordanti Doctorum Complutensium judicio). In quod editores operis S. Alfonsi ita commentantur: « Qui utique sentiendi modus virum theologum minime dedecet; et est illud devotionis obsequium, magnopere a S. Alfonso laudatum, ut quis de Virgine, quantum licet, bene sentiat, et gloriosa dicat de hac spiritali Civitate Dei » (*Glorie*, II, Appendice II, p. 515).

Bene etiam animadvertit P. Dillenschneider: « Nous ne méconaissons pas, il s'en faut, le rôle joué par le coeur, dans la mariologie catholique en général et dans celle de saint Alphonse en particulier. Loin de nous en scandaliser, nous trouvons, avec le P. Marin-Sola, ce phénomène tout naturel. Pourquoi refuserait-on au coeur chrétien, aimant et sensible, l'instinct divinateur des postulats de la digne Maternité de Marie? » (« St. Alphonse de Liguori: son apologie pour la Médiatrice de toutes les graces », *Ephemerides Theologicae Lovanienses*, VIII[1931], 52-53).

Quae concordant cum sensu animi sapienter mariani, quem Pius XII denuo significavit, quum theologos et divini verbi praecones monuit, ut duplicis generis errores devitent: « caveant nempe et sententias fundamento carentes ac veritatem quadam verborum superlacione excedentes; et nimiam mentis angustiam in singulari illa, omnino excelsa, immo fere divina Deiparae dignitate consideranda » (*Litt. Enc. Ad Caeli Reginam, L'Osservatore Romano*, 24 ottobre 1954, p. 2).

Quomodo autem Maria dici potest redempta, si ne debitum quidem peccati originalis habuit? Et quomodo haec sententia concilianda est cum ipsa definitione dogmatica in quantum declarat: «Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse ... ab omni originalis culpa labe praeservatam immunem?» Si debitum peccati originalis non habuit, quare in sua Conceptione a labe illius peccati praeservanda erat?

S. Alfonsus clare affirmat, Mariam per mortem Christi vera redemptam fuisse (55), immo Christum plus pro redimenda Matre venisse, quam pro omni alia creatura (56). Et ab ipso peccato originali redempta est, non quod infuit, sed quod infuisset (57). Proinde modo nobiliori redempta est, in quantum a culpa originali contrahenda erepta est (58); Spiritus Sanctus enim sponsam suam in ipsa eius Conceptione sibi rapuit, antequam Lucifer illam possedisset (59). Praetera S. Alfonsus quaestiones supra positas explicite non tractat, sed ex principiis ab eo stabilitis facile eruitur solutio, quae cum mente eius concordat.

Solutio in hoc fundatur, quod Maria erat vera filia Adami, naturali generatione ab illo oriunda.

Ut jam dictum est, ratio formalis, qua peccatum Adami in posteros transfunditur, in hoc consistit, quod ipsi in Adamo capite morali peccaverunt, et ideo debito obstringuntur, ut una cum natura humana reatum et maculam ab illo contrahant. Hac ratione Beata Virgo peccato originali minime obnoxia erat.

Ex altera parte, Maria via seminali ab Adamo oriunda erat. Sub hoc aspectu, eius generatio in se sumpta idipsum erat quod est generatio cuiusvis hominis, nempe vinculum naturale et necessarium cum Adamo, quatenus erat caput physicum generis humani. Hac ratione nullum quidem contrahitur debitum peccati, tamen ex ipsa natura rei humana natura a protoparente derivari non potest per naturalem generationem, nisi ut in ipso erat, scilicet peccato corrupta. Ideo solus Christus ratione generationis suae a peccato originali immunis erat, quum ortus non sit ab Adamo via seminali, sed naturam humanam a Virgine Matre

(55) Discorso VII. *Dell'Assunzione di Maria, Glorie, II*, p. 156.

(56) Discorso I. *Dell'Immacolata Concezione di Maria, ibid.*, p. 25.

(57) *Ibid.* p. 26.

(58) *Istruzione al popolo sopra i precetti del Decalogo per bene osservarli, e sovra i Sacramenti per bene riceverli*, Introd. pratica. Latine traductum ab ipso S. Alfonso, *Institutio catechistica ad populum in praecepta Decalogi... et Sacramenta*. Utrumque textum vide apud G. VAN ROSSUM, *S. Alphonsus M. de Ligorio et Immaculata Conceptio B. Mariae Virginis*, Romae 1904, p. 42.

(59) Discorso I, *Glorie, II*, p. 32.

assumpsit per operationem Spiritus Sancti (60). Maria vero, si generationi suae relicta esset, naturam non nisi vitiatam ab origine vitiatam necessario traxisset, non quidem ex debito, sed solum propter naturalem connexionem cum Adamo in quantum pro genitore.

Quod malum funestum Deus praevenit eodem decreto, quo Mariae primordia una cum Incarnatione Verbi praestituit. Praevisto enim Adami peccato, et statuta Redemptione a Christo peragenda, Deus decrevit Beatam Virginem intuitu meritorum Christi cum gratia et sanctitate concipiendam esse, ita ut naturam suam revera ab Adamo traheret, quin peccato eius ullo modo macularetur. Sic Maria prae omnibus filiis Adami sublimiori modo redempta est; sicque, etsi nullum peccati originalis debitum habuit, tamen omnino verum est, ipsam in primo instanti suae Conceptionis fuisse ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem.

Quae omnia si bene perpendantur, facilius respondetur objectioni, quae contra doctrinam de Maria Corredemptrice urgetur: principium meriti non cadit sub merito, seu Maria non potuit aliis Redemptionem objectivam merere, quum ad hoc Christo cooperari deberet in eodem actu indivisibili, quo ipsa redempta est. Nulla ex hac parte deprehenditur contradictio, si prae oculis teneatur Mariae redemptionem omnino singularem fuisse ob diversam relationem ad Adamum peccatorem et ad Christum Redemptorem, qua Beata Virgo ab omnibus aliis distincta fuit.

Maria a massa peccatorum sejuncta est ea ipsa ratione, qua omnes caeteri homines redemptione indiguerunt. Illi enim in Adamo peccaverunt, peccatum originale ex debito contrahunt, et ab ipsa servitute peccati liberandi sunt. Maria vero redimenda erat solum in quantum peccatum originale per generationem materialiter transmittitur, et ab illius macula praeservata est eo ipso quod eius primordia una cum Incarnatione redemptiva praestituta sunt. Proinde alia ratione et alio modo redempta est ac reliquum genus humanum, et in ipso actu redemptivo quamdam prioritatem habuit (61), ita ut eius redemptio ad omnium aliorum redemptionem ordinari potuerit. Quod sic intelligi potest:

(60) *Opera Dogmatica*, I, p. 488.

(61) Pulchre et concise S. Ambrosius: « Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit a Maria; ut per quam salus omnium parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore » (*Expositio evangelii secundum Lucam*, lib. II, 17. PL 5, 1559).

Juxta aeternum Dei decretum, sacrificium Christi per prius ordinatum fuit ad Mariae redemptionem praeservativam, in qua nullum eius meritum intercessit. In quantum vero idem sacrificium ad caeterorum redemptionem liberativam ordinatum fuit, Deus voluit ut conjuncta ei essent merita Mariae, ex meritis Christi derivata et una cum illis pretium Redemptionis generis humani constituentia.

Huic duplici ordinationi unius eiusdemque sacrificii respondet duplex intentio Christi et duplex acceptatio divina.

Christus per prius semetipsum obtulit, ut Matrem suam per Immaculatam Conceptionem ab omni labe peccati originalis immunem praeservaret, quo privilegio illam simul capacem reddidit pro aliis merendi. Consequenter, conjuncta sibi Matre pariter offerente, semetipsum obtulit ut caeteros a servitute peccati liberaret.

Sic etiam Deus ab aeterno oblationem Filii sui per prius accepit in beneficium Beatae Virginis, cui primam gratiam singularem in ipsa eius Conceptione intuitu meritorum Christi donavit. In secundo signo eandem oblationem Christi accepit una cum oblatione Mariae, ut utriusque meritis caeteros homines gratiae suae restitueret (62).

Fatendum est, aliquam obscuritatem adhuc manere, quum de mysterio agatur, quod a sola voluntate divina dependet, et cuius modus non satis claret ex revelatione. Tamen factum Corredemptionis marianae tam abundanter et perspicue comprobatur testimonio traditionis, saltem inde ab aetate scholastica (63), et tam luculenter concordat cum Incarnatione redemptiva et divina Maternitate concrete et integre sumptis, ut supradicta objectio minime habenda esset confutatio huius doctrinae, etiamsi nulla dari posset responsio sufficiens.

## II. DE IMMACULATA CONCEPTIONE IN SE CONSIDERATA

Ad ipsam Immaculatam Conceptionem quod attinet, Pium IX jam audivimus declarantem, ea, quae ipse ex cathedra definivit, in Alfonsi operibus reperiri nitidissime exposita.

(62) Cf. C. DILLENCHNEIDER, *Le problème du mérite médiateur de la Vierge*, p. 52 sqq.; *Marie au service de notre Rédemption*, p. 323 sqq.; *Pour une Corédemption mariale bien comprise*, p. 106 sqq.; *Marie au service de notre Rédemption*, pp. 323-73.

(63) Testimonia traditionis collata et exposita vide apud C. DILLENCHNEIDER, *Marie au service de notre Rédemption*, première partie; J. B. CAROL, *De Corredemptione Beatae Virginis Mariae*, pars secunda.

Saeculo decimo octavo doctrina catholica quoad notas essentielles maxima quidem certitudine claruit, atque a Romanis Pontificibus identidem declarata et gravissimis censuris sancita fuit. Jansenistae vero hoc Mariae privilegium singulari quodam horrore prosequerentur, neque deerant in sinu Ecclesiae qui illud impugnare pergerent, vel perperam exponerent, vel definibile esse negarent. Quo incitatus, S. Alfonsus gloriam immaculatae Virginis eo valentius zelavit multumque profecit, praesertim per dissertationem super censuris circa Immaculatam Conceptionem in sua *Theologia Morali* (64), quam Clerus assidue colebat, et per orationem dogmaticam in opere theologico-ascetico *Le Glorie di Maria*, quod plerisque linguis vernaculis translatum, pietatem fidelium fere ubique nutrebat (65).

Quoad expositionem doctrinalem, habetur aliquid notatu dignum, quod Alfonsum ob sermonis theologici proprietatem commendat.

In Constitutione *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, die 8 Decembris 1661 emissa, Alexander VII declaravit, Mariae «animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse ... a macula peccati originalis praeservatam immunem» (66). Quam Constitutionem S. Alfonsus magni fecit tamquam insigne documentum pontificium, quod novam epocham in historia huius doctrinae instauravit (67); ille ipse autem in scriptis suis vocabulum *animam* vitavit, et eiusmodi terminos constanter adhibuit, qui Mariae *personam* significant. Hoc non est minoris momenti, agi-

(64) *Theologia Moralis*, lib. VII, cap. II, *De excommunicatione*, nn. 244-63, editio nova cura P. Leonardi Gaudé, C.S.S.R., Romae 1912, t. IV, pp. 398-408.

(65) *Urbis et Orbis concessionis tituli Doctoris*, Romae 1870, n. 30, p. 11; *ibid.*, *Responsio ad animadversiones*, nn. 163-67, 184-89, p. 78, 87-90; C. DILLENCHNEIDER, *La Mariologie de S. Alphonse de Liguori*, I. *Son influence sur le renouveau des doctrines mariales et de la piété catholique après la tourmente du Protestantisme et du Jansénisme*, Fribourg (Suisse) 1931, pp. 260-88, 302; LE BACHELIER, «Conception Immaculée», *Dictionnaire de Théologie catholique*, VII (2), 1182-83; G. CACCIATORE, C.S.S.R., *S. Alfonso de' Liguori e il Giansenismo*, Firenze 1942, pp. 569-74; L. M. DI FONZO, O.F.M.Conv., «Le dernier Docteur de l'Immaculée», *Marie*, V (1951), 66-71.

Zoeckler, auctor acatholicus, erga S. Alfonsum minime benevolus, quem mariologum appellat populo gratum et in recentiore catholicismo omnium validissimum, confitetur, viam ad absolutam victoriam immaculistarum de theoria maculistica auctoritate eius complanatam fuisse («Maria, die Mutter des Herrn», *Realencyklopaedie fuer protestantische Theologie und Kirche*, 3te Auflage, Leipzig 1903, Bd. XII, p. 326).

(66) *Bullarium Romanum*, Augustae Taurinorum 1869, t. XVI, p. 739. Item: «animam Beatae Mariae Virginis in sui creatione et in corpus infusione ... a peccato originali praeservatam fuisse» (*ibid.*, p. 740). Semel autem: «Beatissimam Virginem ... a peccato originali praeservatam» (*loc. cit.*).

(67) *Theologia Moralis*, lib. VII, cap. II, n. 244, 246, 253 et passim, vol. IV, p. 399 400, 403; *Le Glorie di Maria*, II, pp. 37-39; *Opera Dogmatica*, I, pp. 495-96.

tur enim de subjecto Immaculatae Conceptionis accurate exprimendo, quod quidem non est sola anima, sed ipsa Mariae persona ut in primo instanti conceptionis ex animae corporisque unione constituta est.

Alexander VII de industria ita locutus est, ut errorem tunc temporis nimis diffusum efficacius excluderet, scilicet quod Ecclesia in festivitate Conceptionis non ipsam Mariae Immaculatam Conceptionem coleret, seu sanctitatem in primo animationis instanti, sed dumtaxat sanctificationem Beatae Virginis, in peccato originali conceptae, commemoraret. Quo errore proscripito, multum roboris piae sententiae accessit per Constitutionem Alexandri VII, quem Pius IX laudavit ob «decretoria sane verba, quibus ... sinceram Ecclesiae mentem declaravit» (68). Nihilominus formulam, qua dogma de Mariae Conceptione denique definiendum erat, accuratius limare et perpolire oportebat, ut ex ardua et protracta elaboratione Bullae *Ineffabilis Deus* constabat.

Ex octo schematibus propositis, solum unum continebat formulam personam respicientem: «*Beatam Mariam Virginem Dei Genitricem* a labe originalis peccati fuisse immunem» (69). In omnibus aliis haec formula recurrit: «*animam* Beatissimae Virginis Mariae, quum primum fuit creata et in suum corpus infusa, fuisse ... ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem» (70). Quod consultoribus congregationis specialis minime placuit, inter quos Episcopus Ugentinus, similem formulam ab Alexandro VII adhibitam recolens, a Pio IX suppliciter exoravit, ut in definitione dogmatica immunitas a peccato originali non de sola anima, sed de persona Beatae Virginis pronunciaretur (71). Praeterea Card. Josephus Pecci, in consistorio secreto die 1 Decembris 1854 coram Summo Pontifice habito, hoc votum protulit: «quoad verba dogma de Immaculata Conceptione definitiva, illa vitanda putarem, quae quomodocumque redolerent Scholam, animam in Conceptione a corpore seiungentia: ita ut definitio respiceret personam Mariae, quemadmodum Ecclesia festum Conceptionis eiusdem celebravit hucusque de persona, non de anima tantum» (72). Probato hoc consilio, in textu definitivo verba *Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis*

(68) Litt. Apost. *Ineffabilis Deus*, Pii IX Acta, pars prima, p. 602.

(69) V. SARDI, *La solenne definizione del dogma dell'Immacolato Concepimento di Maria Santissima*, Roma 1905, vol. II, p. 69.

(70) *Ibid.*, p. 38, 87, 116, 140, 166, 192, 274.

(71) *Ibid.*, p. 242.

(72) *Ibid.*, p. 292.

posita sunt, quibus tandem suprema auctoritas apostolica ratum habuit illum modum loquendi, quem S. Alfonsus vigilantem mente usurpare consuevit.

Immunitas a peccato originali in se est quid negativum, et si quis nihil aliud in Immacolata Conceptione videret, gravissime erraret atque supernum illud mysterium evacuaret; Maria enim a peccato originali praeservari non potuit, nisi cum gratia concepta fuisset. At pariter erraret qui sentiret, primam Mariae gratiam fuisse donum commune, quod quomodocumque sufficeret ad peccatum originale ab illa arcendum, sicut in nobis gratia Baptismi sufficit ad idem peccatum remittendum. Nimirum ea ipsa causa, ob quam Maria immaculate concepta est, exigebat ut inde ab initio donorum caelestium perfunderetur copia singulari et ordinis superioris.

Praeter Incarnationem, ait S. Alfonsus, anima Deiparae est maximum Dei opus, quod solus ipse Opifex supergreditur. In quam animam pulcherrimam et donorum Dei capacissimam gratia descendit, non stillatim sicut in alios, sed sicut pluvia in vellus, ita ut Maria in ipso suo exordio totam sibi hauserit Spiritus Sancti gratiam, quam caeteri in parte recipiunt (73).

S. Alfonsus ergo cum multis bonae notae theologis tenuit, primam Mariae gratiam maiorem fuisse gratia consummata omnium sanctorum et angelorum conjunctim (74). Quae sententia hodie communior est, dum tamen adhuc sunt qui eam amplecti dubitent vel eius veritatem negent, quum illis videatur non satis fundata et ultra modum superlata, si cogitatur de summa sanctitatis, qua totus splendet angelorum exercitus, et quae in innumerabili electorum multitudine plenam meridiem non attinget, nisi in fine mundi. S. Alfonsus autem monet, hanc non esse mensuram, qua initialis Mariae gratia aestimanda est, potius vero dignitas divinae maternitatis et mediatio universalis ipsi concredita. Propter has duas rationes, quas validas et convincentes esse dicit, thesim enuntiatam valde probabilem habuit (75).

Rationem primariam et fundamentalem S. Alfonsus ita proponit:

(73) Discorso II. *Della Nascita di Maria, Glorie, II*, pp. 44-45.

(74) *Ibid.*, pp. 46-57; Discorso I. *Dell'Immacolata Concezione di Maria, ibid.*, p. 18, 31-32; Discorso IV. *Dell'Annunziata di Maria, ibid.*, p. 85. Cf. F. X. GORDS, *La sainteté initiale de l'Immaculée exposée et défendue selon la doctrine de S. Alphonse*, 2me ed., Bruxelles 1905; C. DILLENSCHEIDER, *La Mariologie de S. Alphonse, II*, pp. 232-42.

(75) Discorso II, *ibid.*, p. 47.

Maternitas divina ad ordinem unionis hypostaticae pertinet, hanc enim intrinsece respicit et cum illa necessariam connexionem habet. Quapropter est suprema et arctissima conjunctio cum persona divina, quae personae creatae conferri potest; nec posset creatura magis Deo uniri, nisi fieret Deus. Proinde sicut humanitas Christi, ex hoc quod hypostatice unitur personae Verbi, quamdam dignitatem infinitam habet; ita dignitas Beatae Virginis suo genere est infinita ex hoc quod est Mater Christi. Qua dignitate Maria ita exaltata est super omnem creaturam, ut nihil supra illam sit nisi solus Deus, et infra illam sit omne quod Deus non est (76).

Porro in primo instanti Conceptionis suae Maria efficaciter ordinata est ad divinam maternitatem, nam hac sola de causa praedestinata et creata fuit. Ideo dubitandum non est, quin Deus jam illo primo instanti eam ad hoc idoneam reddiderit; hoc enim casu prae omnibus aliis valet principium: «illos quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id ad quod eliguntur inveniuntur idonei» (77). Quae praeparatio et praevia dispositio praecipue in hoc consistunt, quod «unicuique a Deo datur gratia secundum hoc ad quod eligitur» (78). Ex gratia ergo fuit in Maria perfectio dispositiva, per quam idonea exstitit ut fieret Mater Verbi incarnati (79).

Ex quibus S. Alfonsus concludit: «Jamvero si Maria electa fuit ut esset Mater Dei, congruum omnino erat, ut Deus eam a primo instanti immensa adornaret gratia, quae gratiam exsuperaret omnium aliorum hominum et angelorum, quum gratia respondere debuit immensae et altissimae dignitati, ad quam Deus eam exaltavit» (80).

Idem argumentum hac alia forma proponit: Spiritus Sanctus sponsam suam ab initio magis amavit quam omnes simul sanctos et angelos, amore quidem divinitus effectivo simul ac affectivo, quo nempe illud ipsum bonum sponsae suae contulit, quod in illa amavit. Itaque in primo instanti Mariam ita donis

(76) *loc. cit.*, p. 48; Discorso IV, *ibid.*, pp. 92-102.

(77) S. Th. III, qu. 27, art. 4; a S. Alfonso citatum *ibid.*, p. 48.

(78) S. Th. III, qu. 27, art. 5, ad 1; a S. Alfonso citatum *loc. cit.*

(79) S. Th., *loc. cit.*, ad 2. S. Thomas loquitur de perfectione dispositiva ex prima Mariae sanctificatione in utero. Ideo, etsi Immaculatam Conceptionem non tenuerit eo ipso sensu quo definita est, tamen omnia elementa argumenti, de quo nunc agitur, continentur locis a S. Alfonso citatis.

(80) Discorso II, *Glorie*, II, p. 49.

suis cumulavit, ut illam super omnes sanctitate extulit (81). E converso Maria, gratiae suae initiali statim quam perfectissime respondens, eo instanti Deum magis amavit quam omnes homines et angeli conjuncti (82).

Altera ratio fundatur in magno Mediatricis officio, quod una cum divina maternitate totam Mariae vocationem constituit. Hoc officium, per intercessionem et actus meritorios exercendum, Mariae commissum fuit ab initio, ita ut opus redemptionis per ipsum eius exordium inchoaretur, sicut per auroram, quae diem salutis annuntiavit et ortui solis justitiae praeluxit. Ad hoc autem necesse fuit, ut immaculata Virgo per primam suam gratiam omnibus hominibus esset sanctior Deoque carior, alioquin Deo accepta non esset tamquam omnium advocata (83).

Haec quoad homines. Potestne vero Beata Virgo vocari etiam Mediatrix angelorum? Secundum sententiam S. Alfonsi de Mariae praedestinatione una cum Christo, ab illis non dependebat gratia vel gloria essentialis angelis collata, quapropter cohaerenter respondet: In quantum Maria meruit fieri Mater Redemptoris et hominum Reparatrix, angelis saltem hanc gloriam accidentalem procuravit, quod sedium ipsorum, quas daemones amiserant, reparationem promeruit (84). Et Richardum a S. Victore affert, dicentem: «Utraque creatura per hanc reparatur: et angelorum ruina per hanc restaurata est, et natura humana reconciliata» (85).

Sententia de suprema Mariae gratia initiali, quam S. Alfonsus sustinuit, contempto infenso Jansenistarum animo, nunc valide communita est auctoritate duorum Pontificum, quibus de Immaculata Conceptione modo peculiari agendum erat.

Pius IX in prolusione ad definitionem declaravit, Deum ab aeterno Matrem Unigeniti Filii sui electam tanto prae creaturis universis prosecutum esse amore, «ut in illa una sibi propensis-

(81) Discorso I, *ibid.*, p. 31.

(82) «Ella ha amato più Dio nel primo momento del suo vivere, che non l'hanno amato tutti i santi e tutti gli angeli in tutto il corso della loro vita» (*Sopra la Salve Regina*, cap. I, 3, *Glorie*, I, p. 47; cf. Discorso VIII. *Altro Discorso dell'Assunzione di Maria*, *Glorie*, II, p. 168).

(83) Discorso II. *Della Nascita di Maria*, *Glorie*, II, pp. 60-61.

(84) *Ibid.*, p. 56; cf. Discorso IV. *Dell'Assunzione*, *ibid.*, p. 103.

(85) Locus citatus sic sonat: «Itaque [quia Maria est Mater Christi Redemptoris] cum tam angeli quam sanctae animae pro peccatoribus solliciti sint, et eis tam meritis, quam intercessione subveniant, credendum est beatam Virginem tantum in hoc posse, quantum utramque hanc creaturam, imo utraque potior judicatur, quia utraque per hanc reparatur, et angelorum ruina per hanc restaurata est, et humana natura reconciliata» (*Explicatio in Cantica Cantorum*, cap. XXIII. PL 196, 475).

sima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulcra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest» (86).

Pius XII hunc locum repetiit in Litteris Encyclicis, quibus festum de regali Beatae Virginis dignitate «fere divina» instituit ad concludenda solemnia centenaria definitionem Immaculatae Conceptionis commemorantia. Ipse vero magis explicitè declaravit: «Ad hunc excellentissimum intelligendum dignitatis gradum, quem Deiparens super creata omnia adepta est, considerare iuvat Sanctam Dei Genitricem iam in primo temporis momento, quo concepta fuit, tali gratiarum abundantia repletam fuisse, ut Sanctorum omnium gratiam superaret» (87).

Cum illa doctrina cohaeret alia, quam S. Alfonsus pariter ex animo sustentavit, scilicet quod Beata Virgo inde a primo instanti usu rationis et scientia infusa praedita erat. Haec sententia nunc fere communis est, etsi quidam auctores non satis distinguunt inter usum rationis permanentem et transeuntem, dum alii illud privilegium ad primum instans restringunt, vel etiam ad alia momenta discreta (88). S. Alfonsus vero firmiter tenuit, rationis usum in primo instanti Mariae concessum, et per scientiam per se infusam ordinatum, deinceps sine ulla intermissione perdurasse (89). Quod haec sententia iuribus civitatis in hodierna scientia mariana gaudet, non minima ex parte eius debetur auc-

(86) Litt. Apost. *Ineffabilis Deus, Pii IX Acta*, pars prima, pp. 597-98. Pius IX etiam recolit singularem et omnino mirum loquendi usum, quo majores Deiparae primordia extollebant, inter alia eam compellantes «sanctiorem sanctitate, solamque sanctam... [quae] sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus, et quae, solo Deo excepto, extitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelorum natura pulchrior, formosior et sanctior, cui praedicandae coelestes et terrena linguae minime sufficiunt» (*ibid.*, p. 612).

(87) Litt. Enc. *Ad Caeli Reginam*, 11 Octobris 1954 datae, *L'Osservatore Romano*, 24 ottobre 1954, p. 2.

(88) ALEXIUS MARTINELLI, O.F.M., *De primo instanti Conceptionis B. V. Mariae. Dissertatio de usu rationis*, Romae 1950, pp. 17-19, 30-31, 59. Peracta indagatione accurata, auctor optime exponit historiam, rationes et valorem sententiae de anticipato rationis usu in B. Virgine.

(89) Discorso II. *Della Nascita di Maria, Glorie*, II, pp. 57-60; Discorso III. *Della Presentazione di Maria*, *ibid.*, pp. 65-68, 72; Discorso IV. *Dell'Annunziazione di Maria*, *ibid.*, p. 100; Discorso VII. *Dell'Assunzione di Maria*, *ibid.*, p. 146. Cf. C. DILLENCHNEIDER, *La Mariologie de S. Alphonse*, II, pp. 243-52.

toritati (90). Praeterea rationes, ob quas huic sententiae agnoscitur theologica et bene fundata probabilitas, eadem sunt quibus sanctus Doctor innixus est, quae quidem necessariam quamdam congruentiam inducere videntur.

Vix credibile esse videtur, cumulum charismatum, quo Deus Beatam Virginem prae omnibus sanctis et angelis insignivit, ad instar infantium baptizatorum receptum fuisse in anima inscia et prorsus ignara; sic enim ingens ille thesaurus divinus iners jaceret et otiosus, donec organa corporalia satis evolverentur et animus secundum legem communem expergisceretur. Maius illud beneficium minus sibi consentaneum postulavit, et eo vel magis quum hoc minus beneficium sibi necessarium esset, ut proficeret et fructus suos redderet. Ideo rationabiliter creditur, Mariam una cum prima sua gratia etiam usu rationis et scientia infusa donatam fuisse; et hoc propter tria, quae ipsi summopere congruebant.

Primo, sicut Beata Virgo nobiliori modo redempta est, ita etiam convenit, ut eo perfectiori modo sanctificaretur, qui adultis proprius est, in quantum nempe semetipsos per proprium actum ad gratiam recipiendam disponunt et actioni divinae consentiunt. De facto, ait S. Alfonsus, Maria, in primo instanti divinitus illuminata, summa caritate illico se totam Deo obtulit et divinae voluntati penitus subiecit (91).

Secundo, superabundans gratiarum copia, cum qua Maria concepta est, divinam maternitatem prospiciebat, quae omne meritum de condigno, omnem potentiam positivam, omnem creaturae exigentiam infinite excedit. Hac ipsa ratione autem maxime convenit, ut immaculata Virgo gratiae suae excelsae statim obsecundare inciperet, et dignitatem illam fere divinam, in quantum fieri potuit, saltem de congruo mereretur. Ideo inde a primo instanti ascensiones in corde suo disposuit, omni actu copiosis Dei donis toto animo respondens (92), et ne in somno quidem, sicut nec in utero, ab actuali Dei amore desistens (93).

Tertio, officium Mediatricis Mariae commissum fuit ab initio, quia ut Mater Christi etiam socia eius erat in opere redemptionis peragendo. Quapropter Deus supremam eius gratiam initialem non modo ad eius propriam perfectionem ordinavit, verum etiam ad salutem totius generis humani, volens ut in homines

(90) « cuius scriptoris auctoritas ac pietas eiusque sane aureae opellae ampla diffusio non parum contulerunt ad 'piae' sententiae propagationem » (A. MARTINELLI, *op. cit.*, p. 16).

(91) *Glorie*, II, p. 57, 67-68, 72, 146.

(92) *Ibid.*, pp. 58-60, 67-68, 146, 148, 171.

(93) *Della carità di Maria verso Dio*, *ibid.*, pp. 277-80.

refunderetur per eius intercessionem et merita (94). Hac etiam ratione ergo congruit, ut Beata Virgo scientia infusa et expedito rationis usu ab initio donaretur.

S. Alfonsus hoc Mariae charisma una cum primatu sanctitatis eius initialis tam tenaciter asseruit, quia veram indolem Immaculatae Conceptionis dilucide perspexit, eiusque locum in toto Redemptionis mysterio recte aestimavit. Quod ille satis comperitum habebit, qui eius opera attente perlegerit; isque probe intelliget quo jure Pius IX declaraverit, ea, quae ab ipso de Immaculata Conceptione sancita sunt, in Alfonsi operibus reperiri nitidissime exposita.

Quod definitum est, ait Summus Pontifex, in iisdem operibus reperitur etiam validissimis argumentis demonstrata, de quibus alius relator disseret. Ego hoc solum breviter exponere vellem, quod sanctus Doctor jure meritoque affirmavit, Immaculatam Conceptionem a Concilio Tridentino praeclare confirmatam fuisse, et duplici quidem ratione.

Primum hoc probat ex eo quod Patres Tridentini, quamvis Immaculatam Conceptionem definire noluerunt, communiter tamen piam tenuerunt sententiam, et Mariae immunitatem a peccato originali saltem affirmassent, nisi ob rationes practicas ab eiusmodi declaratione supersedendum visum esset (95). Quod argumentum cum actis authenticis concordat.

In prima summa sententiarum sessionis quintae refertur quod longe maior pars censuit, Beatam Virginem a peccato originali excludendam esse; et quod nonnulli etiam voluerunt, ut eius omnimoda immunitas dogmatice definiretur (96). Isti consenserunt Card. Pacheco, Episcopo Giennensi, qui initio sessionis quintae Patres monuerat, ut cogitarent quid de Mariae Conceptione agendum esset, « quae quaestio, inquit, omnino tractanda nunc est, cum de peccato originali agamus, et a sacra synodo terminari omnino debet » (97).

Examinato schemate decreti de peccato originali, 33 ex 52 cum Card. Pacheco cupiebant deleri verba: (Adamum) *in omne*

(94) *Ibid.*, 60-61; Sul Dolore I. *Del vaticinio di S. Simeone, ibid.*, p. 211.

(95) *Opera Dogmatica*, I, p. 492; *Theologia Moralis*, lib. VII, cap. II, n. 255, Vol. IV, p. 403. Praeter SPORZA PALLAVICINO (*Istoria del Concilio di Trento*, Roma 1664, parte II, lib. VII, cap. VII, p. 711 sqq.) et alios auctores, quos non nominat, S. Alfonsus secutus est HIERONYMUM ORMACHAEAM (*In Canticum Canticorum*, Lucronii 1637, proleg. 3, n. 63) et NICOLAUM LANCICIUM (*Opuscula spiritualia*, Ingolstadii 1724, t. II, opusc. XI, cap. XIII, p. 49), quorum uterque acta originalia Romae legerat.

(96) *Concilii Tridentini Acta* (Ehses), V, 181.

(97) *Ibid.*, p. 166.

*genus humanum secundum legem communem transfudisse* (peccatum), ne includeretur Beata Virgo; aut si illa verba retinenda essent, haec alia adderentur: *nisi Deus alicui ex privilegio aliud concesserit, prout in B. Virgine, vel a qua lege pie creditur B. Virginem exceptam* (98). Expositis rationibus a tali declaratione prudenter abstinendi, 25 in eadem sententia persistebant (99).

Tandem interrogati sunt Patres, an placeret haec poni in decreto, videlicet: *Declarat tamen haec ipsa sancta synodus, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse constitutiones felicitis recordationis Sixti Papae Quarti, sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat* (100).

Quae quum longe maiori parti placerent, conclusum est, ut verba proposita in fine decreti adderentur. Tamen in congregatione generali, in qua decretum firmandum erat, Card. Pacheco cupiebat in capitulo de Conceptione Mariae addi verba: *prout magis pie a maiori parte ecclesiae, vel a multis creditur, B. Virginem esse conceptam sine peccato originali, cui 17 Patres suffragati sunt* (101).

Tunc primus praesidens, ad Card. Pacheco conversus, maxime partis sententiam significavit dicens, se non minus quam ipsemet opinionem Conceptionis Beatae Virginis sine peccato tenere, sed ad verba decreti descendisse, quum neque tempus esset ea de re discutiendi, neque videret per verba apposita quid praesudicii Beatae Virgini generari (102). Card. Pacheco autem cum sequacibus majoritati non cessit, nisi quum Concilium in eo erat ut decretum promulgaret, et sic denique omnes in unum convenerunt (103).

Sub aspectu juridico quidem declaratio Concilii quaestionem de Immaculata Conceptione reliquit in statu quo; ratione autem habita sententiae inter Patres longe communioris, dubitandum non est, quin Beatam Virginem in decreto de peccato originali comprehendere noluerint, quia, paucis exceptis, illis persuasum erat, Mariam reapse a peccato originali immunem fuisse. S. Alfonsus ergo ex eorum consensu, decursu sessionis quintae manife-

(98) Suffragia vide *ibid.*, pp. 199-203 et summam sententiarum p. 208; cf. *Concilii Tridentini Diariorum pars secunda* (edidit Stephanus Merkle 1911), t. II, p. 384.

(99) *Ibid.* (Ehses), pp. 220-23.

(102) *Ibid.*, p. 236.

(100) *Ibid.*, p. 223.

(103) *Ibid.*, p. 241.

(101) *Ibid.*, pp. 235-36.

stato, recte infert argumentum in favorem Immaculatae Conceptionis.

Quod egregie confirmavit Pius IX, qui declarationem tridentinam in se sumptam, et secundum sensum implicitum interpretatam, testimonium «gravissimum et omnino maximum» appellavit, haec praeclara adjungens: «Hac enim declaratione Tridentini Patres, ipsam beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adiunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis literis, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantae praerogativae quovis modo refragetur» (104).

Praeterea S. Alfonsus alia ratione existimavit, Tridentinam sententiam certam reddidisse, quando in decreto de justificatione definivit, hominem semel justificatum non posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia (105). Quod sacra synodus definivit propter concupiscentiam seu fomitem, qui ad peccatum inclinatur et in renatis relinquitur ad agonem (106); ita ut etiam homo justificatus de pugna cum carne, cum mundo et cum diabolo formidare debeat (107); et eo vel magis, quod in eo liberum arbitrium peccato originali attenuatum et inclinatum est (108).

Unde S. Alfonsus hoc argumentum deducit: «Propter concupiscentiam, ex Adami lapsu nobis illatam, levioribus culpis nemo immunis est ... Attamen Dei Mater (ut Sess. VI, can. 23 declaravit Concilium) ex speciali privilegio, a Deo illi concesso, ab ejusmodi culpis plane vacua fuit. Quod simul validum praebet argumentum, conceptam fuisse Mariam sine originali culpa; secus enim a venialibus peccatis prorsus libera esse non potuisset» (109).

Quod argumentum, auctoritate S. Augustini confirmatum, S. Alfonsus habuit demonstrationem stricte theologiam, quam sic proponit: «si certum est juxta Concilium et de fide, divinam Matrem nullam culpam actualem commisisse; certum consequenter est certitudine theologica, quod ipsa maculam originalem non

(104) *Acta Pii IX*, p. 606.

(105) Sessio VI, can. 23. de justificatione. *Conc. Trid. Acta* (Ehses), V, 799; Denz. 833.

(106) Sessio V, *Decretum de peccato originali*, cap. 5, *ibid.*, pp. 239-40; Denz. 792.

(107) Sessio VI, *Decretum de justificatione*, cap. 13, *ibid.*, p. 796; Denz. 806.

(108) Sessio VI, *Decretum de justificatione*, cap. 1, *ibid.*, p. 792; Denz. 793.

(109) *Opera Dogmatica*, I, p. 493; *Istruzione al popolo sopra i precetti del Decalogo*, introd., G. VAN ROSSUM, *op. cit.*, p. 41.

contraxit. Ratio patet: quia, sicut impossibile est, ut qui peccatum originale una cum suo fomite contraxit, expers sit omnis peccati venialis; ita, qui nullum peccatum commisit, necessario impossibile est quod maculam originalem contraxerit: ut docet S. Augustinus, ubi ideo Christum Dominum nullum peccatum actuale perpetrasse dixit, quia nullum peccatum contraxit originale» (110).

Quod autem definibilitatem Immaculatae Conceptionis spectat, S. Alfonso eiusmodi argumenta minoris momenti habuit, et tamquam omnium praecipuum proposuit fidem Ecclesiae tum discentis tum docentis, ut jam suo tempore manifesta erat per consensum fidelium, Pastorum institutione efformatum, et per celebrationem festi de Mariae Conceptione in Ecclesia universali eo sensu, quem Alexander VII declaraverat (111). Sic denique sanctus Doctor omnia reduxit ad auctoritatem magisterii vivi, quod semper adest ut regula proxima fidei, et ut supremus et infallibilis iudex de deposito divinae revelationis, ipsi soli a Christo Domino concredito.

### III. DE RELATIONE IMMACULATAE CONCEPTIONIS AD MARIAE MORTEM ET ASSUMPTIONEM.

Inde a prioribus saeculis aevi christiani constans traditio erat, Mariam mortuam esse, paucis vocibus interdum dissonantibus (112).

(110) *Theologia Moralis, loc. cit.* S. Augustinus: « Illud sane magnum verumque dixisti, cum posuisses testimonium apostoli Petri, dicentis, *qui peccatum non fecit* (1 Petr. II, 22); notandum esse quod iudicaverit apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatum... Profecto enim peccatum etiam major fecisset, si parvus [*al. parvulus*] habuisset. Nam propterea nullus est hominum praeter ipsum qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu » (*Contra Julianum*, lib. V, cap. XV, 57. PL 44, 815; cf. *De peccatorum meritis et remissione*, lib. II, cap. XX, 34. PL 44, 171).

Post definitionem tridentinam majorem vim habet argumentum a S. Alfonso prolatum; ipse S. Augustinus vero ex principio enuntiato deduxisse non videtur, Mariam a peccato originali fuisse immunem. Cf. C. DILLENSCHNEIDER, *Les sens de la foi et le progrès dogmatique du mystère marial*, Romae 1954, pp. 184-85.

(111) Discorso I, Glorie, II, pp. 37-40; *Opera Dogmatica*, I, pp. 495-96.

(112) Traditio de morte Mariae, ut ex fontibus noscitur, ample et erudite exponitur in *Estudios Marianos*, vol. IX, Madrid 1950: M. GORDILLO, S.J., *La muerte de Maria madre de Dios en la tradición de la Iglesia de Jerusalén*, pp. 43-62; V. GONZALEZ, O.S.B., *La dormición de Maria en las antiguas liturgias*, pp. 63-69; A. RIVERA, C.M.F., *La muerte de Maria en la tradición hasta la Edad Media (siglos I al VIII)*, pp. 71-100; C. BALÍ, O.F.M., *La controversia de la muerte de Maria Santísima desde la Edad Media hasta nuestros días*, pp. 101-123. Cf. etiam C. BALÍ, *Testimonia de Assumptione Beatae Virginis Mariae ex omnibus saeculis*, pars prior, *Ex aetate ante Concilium Tridentinum*, Romae 1948; pars altera, *Ex aetate post concilium Tridentinum*, Romae 1950. Testimonia de Mariae morte

Nostris autem temporibus paulatim inualescit sententia de Mariae immortalitate; crescit enim numerus eorum qui sentiunt, Mariam immediate translata fuisse ab hac vita in gloriam caelestem, quin communi sorti mortalium succumberet. Alii, qui concedunt Mariam de facto mortuam esse, censent illam jus habuisse ut non moreretur, quod tamen ultro sibi renuntiasset dicunt, ita ut mortua sit solum quia ipsa mori voluit.

Hodierni immortalistae sententiam suam in Immaculata Conceptione fundare conantur. Quum Maria immunis esset a peccato originali, illam arbitrantur in statu iustitiae originalis constitutam fuisse, vel saltem ea dona ex illo statu participasse, quae cum eius missione terrestri congruerent. Quae missio, aiunt, Mariae mortem minime postulavit, quum genus humanum solum per mortem Christi redimendum esset. Unde concludunt, vi ipsius Immaculatae Conceptionis Mariam vel de facto mortuam non esse, vel saltem jure ad immortalitatem potitam esse, quod libere dimisit.

Neutra sententia a S. Alfonso sustinetur, saepe enim affirmat, Dei Genitricem immaculate conceptam revera mortuam esse, et omne jus ad immortalitatem, quod ipsa sibi renuntiare posset, luculenter excludit una cum argumento, in quo thesis immortalistica fundatur.

Juxta dispositionem Divinae Providentiae, status iustitiae originalis in homines derivari non potuit, nisi ab Adamo innocente. Peccante Adamo, ille status prorsus deletus est et funditus ablati, numquam redintegrandus. Supervenit status naturae lapsae, in quo Adami posteritas, a diabolo devicta, miserrime jacuit omnibus donis divinis spoliata et omnino impotens ruinam suam reparandi, ita ut in illo statu desperato semper mansisset, nisi redempta esset a Christo et per illum in statu naturae reparatae constituta. Quamvis autem in hoc statu superabundet gratia, homo tamen sequelis peccati originalis subditus relinquitur, donec in consummatione saeculorum omnia instaurata fuerint in Christo (112<sup>b</sup>).

recurrunt passim per totum; J.M. BOVER, S.J., *La Asunción de Maria*, Biblioteca de Autores Cristianos, Madrid 1947, parte segunda, *Documentación Asuncionista*, p. 304 ss. L. CARLI, *La morte e l'Assunzione di Maria Santissima nelle omelie greche dei secoli VII VIII*, Roma 1941. Quibus operibus rectificantur quaedam interpretationes nimis restrictivae P. MARTINI JUGIE, A.A., *La mort et la Assomption de la Sainte Vierge. Etude historico-doctrinale*, Studi e Testi 114, Città del Vaticano 1944.

(112<sup>b</sup>) *Meditazioni per i giorni dell'Avvento*, Monza 1826, Medit. I, p. 7; *Discorsi per la novena di Natale* Disc. I, pp. 258-59; *Saette di fuoco*, V. *Opere Ascetiche*, Roma 1933, vol. I, p. 339; *Riflessioni sulla Passione di Gesù Cristo*, cap. I, n. 4; cap. VI, n. 5. *Opere Ascetiche*, Roma 1934, vol. V, p. 187, 266.

Itaque juxta Dei Providentiam, nullus hominum in statu justitiae originalis iterum constituendus est, nec quodvis donum ex illo statu pro semper deperdito derivare potest (113) - minime omnium Beata Virgo, quae ad illum statum ordinata non fuit, quum una cum Christo praedestinata sit post decretum de prima generis humani elevatione in Adamo, et post peccatum Adami praevium (114). Ideo solum ad ordinem Redemptionis pertinet, et omnem gratiam, omne charisma, omne suum privilegium solum ex meritis Christi habuit. Quorum omnium primum est Immaculata Conceptio, quae nedum Mariam sive de facto sive de jure immortalem reddiderit, eius mortem ex ordinatione divina postulavit (115).

«Quum mors sit poena peccati, ait S. Alfonsus, videtur divina Mater, quae plane sancta erat et ab omni culpa naevo immunis, non debuisse morti subjacere, nec idem illud supplicium perpeti quod filii Adami, qui peccati veneno infecti sunt. Utique vero, quum Deus eam plane similem Jesu vellet, mortuo Filio, congruebat ut et Mater moreretur; utique, quia justis voluit praebere exemplum mortis pretiosae illis praeparatae; ideo voluit ut etiam Virgo moreretur, morte vero suavi et felici» (116).

(113) S. Alfonsus quidem dicit: «Notandum est, baptizatum (juxta constantem SS. Patrum et Ecclesiae persuasionem) omni et culpa et poena solutum manere, ad statum innocentiae revocatum, ita ut tum decedens illico caelum ingrederetur» (*Concilii Tridentini decreta et canones*, disp. V, sess. VII, *Decretum de Baptismo. Opera Dogmatica*, I, p. 547). At non loquitur de illo statu innocentiae, in quo genus humanum in Adamo constitutum fuerat, sed refert quod Concilium Tridentinum docet, nempe per Jesu Christi gratiam, quae in Baptismo confertur, tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet. Quapropter, ait Concilium, «innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti filii effecti sunt, *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur» (Sessio V, *Decretum super peccato originali*, cap. 5, *Conc. Trid.* [Ehses], V. 239; Denz. 792). Est status naturae redemptae qui describitur.

(114) E. Alfonsus etiam dicit: «Se Maria ha superati tutti in ricchezze della grazia, dunque ha avuto ancora la giustizia originale, come l'ebbero Adamo e gli angeli» (*Glorie*, II, p. 31). Certo tamen significare non vult, Mariam fuisse in *statu* justitiae originalis ut in Adamo constitutus erat — angeli non erant in illo statu! Secundum contextum sensus est: Plenitudo gratiae, quam Maria in sua Conceptione accepit, et qua omnes sanctos et angelos superavit, ipsi concessa est quin peccatum praecesserit, sicut Adamus et angeli gratiam acceperunt.

(115) In oratione habita occasione lectionis decreti super *tulo* pro canonizatione Beatae Thouret, Pius XI affirmavit, Mariam de facto mortuam esse, et clare innuit illam nullum jus habuisse ad immortalitatem, eo quod in illa erat, non gratia primi status generis humani, sed gratia Redemptionis: «possiamo sperare da Ella assunta nella gloria del cielo, nell'ora del nostro trapasso, che fu pure il Suo, — poiché Ella pure fece questo passo essendo in Lei non la grazia di creazione, ma la grazia di redenzione, la quale non conferisce immortalità vera e propria, — possa Ella essere nostra Avvocata presso la divina bontà e misericordia» (*L'Osservatore Romano*, 16-7 agosto 1933).

(116) Discorso VII. *Dell'Assunzione di Maria*, *Glorie*, II, p. 143; cf. *ibid.*, p. 151, 152, 154; Sul Dolore I. *Del vaticinio di S. Simeone*, *ibid.*, p. 205; *Dissertationes theologicae morales de his quae ad vitam aeternam pertinent*, Diss. V, *De universali hominum resurrectione*, II, n. 14. *Opera Dogmatica*, II, p. 566.

Itaque non poena peccati, nec naturalis necessitas, nec propria electio, sed conformitas cum Christo et exemplum justis praebendum, prout a voluntate Dei statutum fuit - en cur Virgini immaculae moriendum esset. Ratio primaria est conformitas cum Christo, quae non eo sensu tantum intelligenda est, quod Maria humili et libenti animo mortem acceptaret; sed imprimis quod ipse Deus voluit, ut tamquam Mater et socia Christi munus suum terrestre morte completeret (117).

Ut Mater Christi futura, etiam ipsa per Conceptionem suam in ea conditione constitui debuit, in qua Filius naturam humanam ab illa assumpturus erat. Ille vero venturus erat «in similitudinem carnis peccati» (Rom. VIII 3), id est in eo statu passibili et mortali, quem nos ex peccato Adam contraximus; atque hanc conditionem assumpsit, imprimis ut opus Redemptionis morte crucis consummaret. Eadem ergo necessario erat conditio Mariae, ut Filium passibilem et mortalem pareret.

Praeterea haec Mariae conditio inde ab eius Conceptione ad eundem finem divinitus ordinata fuit, ut ipsa officio Corredemptricis et Mediatricis gratiarum fungeretur. Hac ratione Beata Virgo Filii passionibus et morti quam plenissime communicare debuit, adeo ut ipsa una cum hostia salutis immolanda esset, et ad aram crucis certe mortua esset, nisi Deus eam virtute sua sustentasset (118). Tunc meruit ut Regina Martyrum verissime compelleretur (119), non ideo tamen de morte revera subeunda soluta est. Post Ascensionem Christi in terris relicta est, ut corpus Christi mysticum in eius primordiis praesens nutriret et firmaret (120); denique autem hora a Deo stabilita beate moritura, ut sicut Filius cursum vitae mortalis morte congruenter completeret, et opus suum salvificum morte meritoria consummaret.

Verum quidem est, mortem Mariae nihil adungere potuisse

---

(117) Mortem Mariae describens, S. Alfonsus, cum Andrea Cretensi, Joanne Damasceno, Metaphraste, Cedreno et Nicephoro Callisto, aliqua repetit ex apocryphis derivata, non quidem ad mortem Mariae historice probandam, sed ad relationem adornandam (*Glorie*, II, pp. 150-58. Aliqui textus citati in extenso exscripti sunt in Appendice X, pp. 553-58). Ipsam Deiparae mortem, sicut et Assumptionem, ut factum theologicum tractat, quod ad mysterium Redemptionis pertinet et rationibus theologicis stabilendum est, potiusquam testimoniis historicis.

(118) Discorso IX, *Dei Dolori di Maria*, *Glorie*, II, pp. 180-81; Sul Dolore IV, *Dell'Incontro con Gesù*, *ibid.*, pp. 231-32; Sul Dolore V, *Della Morte di Gesù*, *ibid.*, pp. 241-42; Sul Dolore VI, *Della Lanciata e Deposizione*, *ibid.*, p. 249.

(119) Discorso IX, *Dei Dolori di Maria*, in quo haec propositio demonstratur: «Maria fu la regina de' martiri, perchè il suo martirio fu il più lungo e 'l più grande di quello di tutti i martiri», *ibid.*, pp. 178-200.

(120) Discorso VII, *Dell'Assunzione di Maria*, *ibid.*, p. 150, 153.

meritis Christi, in quantum haec sunt pretium Redemptionis objectivae; maxime autem profuit Redemptioni subjectivae, nobis promerendo communicationem meritorum Christi (121); sicut omnes dolores, quos post mortem Christi pertulit, et sicut omnis eius intercessio et omnia opera eodem temporis spatio ab illa patrata (122). Isti imprimis dolores erant species post-Passionis, qua Maria, in quantum ad illam pertinebat, adimplevit ea quae deerant passionum Christi, pro corpore eius, quod est Ecclesia (Col. I 24). Hac ratione mors Matris Dolorosae erat summe meritoria, quia ipse eius actus moriendi erat actus summi amoris divini, non modo in quantum Beata Virgo mortem ex amore Dei suscepit, magis vero quia amor divinus in corde eius flagrans tunc ad culmen suum pervenit et ipsi fuit causa moriendi (123).

(121) Maxime interest notare, secundum S. Alfonsum mortem Mariae fuisse *meritoriam*: Discorso VII, *ibid.*, p. 158, 161; *Meditazione per la festa dell'Assunzione di Maria*, *ibid.*, p. 470.

(122) « queste furono l'ultime parole colle quali Gesù da lei si licenziò prima di morire, questo fu l'ultimo ricordo, il lasciarle noi per suoi figli in persona di Giovanni, allorché le disse: *Mulier, ecce filius tuus* (Io. XIX). E sin d'allora cominciò a far Maria per noi quest'ufficio di buona madre » (Sul Dolore V, *ibid.*, p. 243). LEO XIII idem dicit: « talem denique se dedit ipsa, quae cum immensi laboris haereditatem, a moriente Filio relictam, magno complexa animo, materna in omnes officia confestim coepit impendere » (Litt. Enc. *Octobris mensis*, 22 Sept. 1891, *Acta Leonis XIII*, vol. XI, Romae 1892, p. 305).

(123) « E qual visse l'amante Vergine, tale morì. Siccome l'amor divino le diè la vita, così le diè la morte, morendo ella, come comunemente dicono i Dottori e i SS. Padri, non di altra infermità che di puro amore, dicendo S. Ildefonso che Maria o non doveva morire o solo morire di amore » (Discorso VII, *ibid.*, pp. 149-50. Editores [p. 150, nota 15] animadvertunt, se hanc sententiam apud S. Ildefonsum reperire non potuisse). « Ma già la morte di Maria è vicina. Avendo l'amor divino colle sue beate e veementi fiamme già quasi tutti consumati gli spiriti vitali, già la celeste fenice in mezzo a tanto incendio va perdendo la vita » (*ibid.*, p. 155). « Ed ecco allora venne la morte non già vestita di lutto e tristezza, come viene agli altri uomini, ma venne ornata di luce e di allegrezza. Ma che morte! che morte! meglio diciamo, venne l'amore divino a troncar lo stame di quella nobil vita. E qual lampada che prima di finire fra quegli ultimi lampi di sua vita dà un lampo più grande e poi spira; così la bella farfalla, invitandola il Figlio a seguirlo, immersa nella fiamma di sua carità e in mezzo ai suoi amorosi sospiri, dà un sospiro più grande d'amore e spira e muore » (*ibid.*, p. 158; cf. p. 470).

In canticò *Sulla morte di Maria*, S. Alfonsus mortem Mariae amore illatam venuste decantat:

Chi tanto l'amava,	Sen venne l'Amore
Il caro suo Sposo	Col dolce suo strale:
Al pieno riposo,	E 'l colpo mortale
Nel ciel la chiamò.	Sul cor le donò.
La morte aspettava,	Allora con pace
Che aprisse le porte:	Ferita già essendo,
Ma giunta la morte	D'amore languendo,
Lontan si fermò.	Felice spirò.

(ORESTE GREGORIO, CSSR., *Canzoniere Alfonsiano. Studio critico estetico col testo*, Anghi 1933, p. 267; ANTONIO DI COSTE, CSSR., *Le melodie di S. Alfonso in alcuni suoi canti popolari*, Roma 1932, p. 60).

Exstat aliud canticum S. Alfonsi de Maria Assumpta, quod his versibus incipit:

Visse, o Maria, d'amor sempre il tuo cuore,  
e tanto amò che alfin morì d'amore.

Eiusmodi mors omnino digna erat Matre Dei et hominum Mediatrice; nihil enim poenae prae se tulit, nec ullo modo cessit diabolo, sed econtra maxime auxit gloriosum illum triumphum, qui in Immaculata Conceptione illuxit et per Assumptionem perficiendus erat.

Objicitur, permiram illam mortem justis exemplum esse non posse. Quomodo enim possunt etiam maximi sancti sponte sua imitari mortem omni amaritudine et animi angustia expertem, superna felicitate opletam, et ex causa supernaturali provenientem, cuius modus mortem inferendi difficulter intelligitur?

A fortiori objici posset, Christum in cruce morientem nobis exemplum esse non posse, quia propria voluntate mortuus est. Immo dici deberet, nos Christum imitari non posse in quacumque actione humanitatis eius, quia omnia in illa procedebant sub singulari influxu personae Verbi, cuius virtute ea omnia, quae in nobis naturalia et necessaria sunt, in Christo subjacebant dominio voluntatis humanae, ipsa etiam mors (124). Nihilominus S. Petrus

(PASQUALE DEL BUONO, *Sacre Canzoncine distinte in due parti*, Palermo 1831, parte II), mihi communicatum a P. Oreste Gregorio, studiorum alfonsianorum peritissimo, una cum hac nota: « Nel 1831 P. Del Buono curò una ristampa delle canzoncine di S. Alfonso, molto accurata, ed inserì tra le autentiche anche i suddetti versi endecasillabi. Nessuno li ha poi ripubblicati in modo che sono stati sino ad oggi ignorati ». (Cf. O. GREGORIO, *op. cit.* p. 116).

In Archivo Generali Redemptoristarum Romae (signatura: SA. M. III, fol. 309-312) servatur ms. ineditum cum titulo *Storia della morte di Maria*, de quo P. Gregorio refert: « En fait, c'est le schéma détaillé d'un discours sur le transitus de la divine Mère d'après le récit légendaire de Damascène, de Cedreno et de Métaphraste... Dans la publication des deux sermons sur l'Assomption de la Vierge (II<sup>e</sup> partie des *Gloires de Marie*), il se sert bien de quelques détails en harmonie avec la tradition, mais il laissa tomber les épisodes sujets à caution, comme, par exemple, l'allusion à la lettre de Messine. Et cela prouve son discernement critique dans le choix de sources en un siècle où la Patrologie n'avait pas fait beaucoup de progrès » (*Marie*, V [1951], 104). Ex altera parte, in hoc ms. sanctus auctor loquitur de amore divino ut causa mortis Mariae eodem sensu et fere iisdem verbis ac locis supra citatis.

In *Glorie*, II, Appendice IX, pp. 548-53, aliquot dantur testimonia theologorum de morte Mariae per amorem, inter quos Suaresius, S. Franciscus Salesius et auctor operis celeberrimi *Mariale super 'Missus est'*, quod hucusque S. Alberto Magno attributum est, perperam autem, ut nuper demonstravit ALBERTUS FRIES, CSSR., *Die unter dem Namen des Albertus Magnus ueberlieferten Mariologischen Schriften. Literarkritische Untersuchung* (Beitraege zur Geschichte der Philosophie und Theologie des Mittelalters. Texte und Untersuchungen, herausg. von ARTUR M. LANDGRAF, Bd. XXXVII, Heft 4), Muenster Westf. 1954, pp. 5-80, 130-31.

(124) S. ALFONSUS, *De Ecclesiae triumpho, seu haeresum historia et confutatio*, pars II, confutatio XV, *De erroribus Patris Berruyer*, III, nn. 31-33. *Opera Dogmatica*, II, pp. 491-92; *L'amore delle anime*, cap. VI, n. 1; cap. VIII, n. 4. *Opere Ascetiche*, Roma 1934, vol. V, pp. 54-55; *Considerazioni ed affetti sopra la Passione di Gesù Cristo*, XVI, *ibid.*, p. 175; *Riflessioni sulla Passione di Gesù Cristo*, cap. II, n. 11; cap. V, n. 28, 32, *ibid.*, p. 206, 252-53, 255.

S. Alfonsus explicitè consentit S. Thomae, qui sententiam suam his verbis resumit: « Quicquid autem in Christo secundum humanam naturam erat naturale, totum ejus vo-

vocationem christianam in hoc reponit, quod Christum patientem imitemur: «In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus» (I Petr. III 21), in quantum nempe quod in Christi passionibus humanum est et humanitas imitabile, illud omne in aerumnis et doloribus huius vitae pro modulo nostro imitari conemur (124<sup>b</sup>).

Revera illa objectio nihil aliud est nisi ignoratio elenchi, ut ex expositione S. Alfonsi patet. Ipse profecto mortem Mariae non habet exemplum imitandum, in quantum fuit transitus legem communem supergrediens; illam vero exhibet ut exemplar mortis pretiosae justis praeparatae propter dispositiones animi, cum quibus Beata Virgo ex hac vita discessit: a rebus terrenis prorsus soluta, summa cum pace conscientiae, et certa de gloria aeterna consequenda (125). Iisdem quidem dispositionibus justis, in fine vitae absconditae cum Christo in Deo (Col. III 3), per misericordiam divinam beate in Domino moriuntur. Praeterea Maria huiusmodi mortis ita est exemplar, ut per mortem suam simul sit illius causa meritoria (126).

Certo congruit, Deum tale exemplar nobis praebuisse, quod nobis magis affine est et animum facilius addit, quam mors theandrica Christi Dei-Hominis.

Non pauci esse videntur qui thesim immortalisticam confirmatam censent per definitionem Assumptionis, eo quod mors Mariae tacetur et simpliciter declaratur: «Immaculatam Deiparam semper Virginem Mariam, expleto terrestri vitae cursu, fuisse corpore et anima ad caelestem gloriam assumptam» (127). Immo quidam usque adeo pervenerunt, ut autement definitum esse, Mariam cum corpore et anima fuisse glorificatam quin prius mortua esset.

---

Iunctati subjacebat propter divinitatis virtutem, cui subjacet tota natura. Erat igitur in potestate Christi ut quamdiu vellet, anima ejus corpori unita remaneret, et statim cum vellet separaretur ab ipso» (*Compendium Theologiae*, cap. 230; cf. S. Th. III, qu. 47, art. 1, corp et ad 2; *Super Evangelium S. Ioannis lectura*, cap. X, lectio IV, 5). Cf. E. WUENSCHEL, «De operatione Christi theandrica eiusque principio quod», *Doctor Communis*, Acta et commentationes Pontificiae Academiae Romanae S. Thomae Aquinatis, 1952, I-II, pp. 11-45.

(124b) S. ALFONSUS, *Pratica di amar Gesù Cristo*, cap. V, n. 2, vol. I, p. 41; *Riflessioni sulla Passione*, cap. VI, n. 16, vol. V, p. 276.

(125) «Tre cose render sogliono amara la morte, l'attacco alla terra, il rimorso de' peccati e l'incertezza della salute. Ma la morte di Maria fu affatto esente da queste amarezze ed accompagnata da tre bellissimi pregi che la renderono assai preziosa e gioconda. Ella morì tutta distaccata, come sempre visse, da' beni mondani: morì con somma pace di coscienza: morì con certezza della gloria eterna» (Discorso VII, *ibid.*, p. 144).

(126) «Deh per li meriti della vostra preziosa morte, otteneteci il distacco dalle cose terrene, il perdono de' peccati, l'amore di Dio, e la santa perseveranza; e quando giungerà l'ora della nostra morte, assisteteci dal cielo colle vostre preghiere, ed otteneteci di venire a baciarvi i piedi in paradiso» (*Meditazione per la festa dell'Assunzione*, *ibid.*, p. 470).

(127) Const. Apost. *Munificentissimus Deus*, AAS, XXXII (1950), 770.

Perperam sane quis ita argumentatur, nam verbis «expleto terrestri vitae cursu» nihil affirmatur vel innuitur de modo, quo Beata Virgo terrestri vitae cursum expleverit. Consequitur ergo quod quaestio de morte Mariae relinquitur in statu quo se habebat ante definitionem.

Ideo hoc etiam consequitur, quod integra remanet traditio, quae per tot saecula tam in Occidente quam in Oriente communem testatur persuasionem de morte Mariae eiusque anticipata resurrectione. Summus Pontifex, nedum hanc traditionem negaverit, vel ut falsam rejecerit, illam nobis luculenter prae oculis posuit.

«Siquidem christifideles, inquit, suorum Pastorum institutione ac ductu, a Sacris Litteris didicere Virginem Mariam, per terrestrem suam peregrinationem, vitam egisse sollicitudinibus, angustiis, doloribus affectam; ac praeterea id evenisse, quod sanctissimus senex Simeon cecinerat, acutissimum nempe gladium cor eius transverberasse ad Divini sui Nati crucem nostrique Redemptoris. Parique modo haud difficile iisdem fuit assentiri magnam etiam Dei Matrem, quemadmodum iam Unigenam suam, ex hac vita decessisse. Hoc tamen minime prohibuit quominus palam crederent ac profiterentur sacrum eius corpus sepulcri corruptioni obnoxium fuisse numquam» (128).

Item in mentem revocat, sanctos Patres magnosque Doctores in homiliis et orationibus, quas in festo Assumptionis ad populum habuerunt, sensum atque rem altioribus rationibus proposuisse, «id praesertim in clariore collocantes luce, quod liturgici libri saepenumero presse breviterque attigerant: hoc nempe festo non solummodo Beatae Virginis Mariae nullam habitam esse examinis corporis corruptionem commemorari, sed eius etiam ex morte deportatum triumphum» (129).

Praeterea ex sedecim testibus fidei de Assumptione, quos nominatim adducit ex diversis saeculis, dimidia pars, in qua S. Alfonsus, Deiparae mortem vel explicite affirmat vel dilucide innuit. Quod probe notandum est, quum Summus Pontifex centena alia testimonia, quae mortem Mariae non memorant, seligere potuisset. Ea vero, quae speciminis gratia profert, traditionem fideliter attestantur ut inde a remotis temporibus per saeculorum decursum in Ecclesia vigeat. Ideo mirum omnino esset, si demum, Mariae Assumptionem in caelum cum corpore et anima definiens, erroris arguere vellet traditionem de eius antecedente morte et anticipata resurrectione - illam ipsam traditionem nempe, quam in parte

(128) *Ibid.*, 757.(129) *Ibid.*, 760.

expositiva tam instanter recoluit, quae tot tantisque testibus comprobatur, et quae in christifidelium animo tam alte radicatur (130):

In Constitutione Apostolica *Munificentissimus Deus* Pius XII S. Alfonsum numerat inter testes fidei de Assumptione a superioribus aetatibus traditae, et haec eius verba allégit: «Jesus Mariae corpus post mortem corrumpi noluit, cum in suum dedecus redundaret virginalem eius carnem in tabem redigi, ex qua suam ipsemet carnem assumpserat» (131).

Hoc loco S. Alfonsus immunitatem Mariae a peccato originali deducit argumento a fortiori ex eius praeservatione a corruptione carnis post mortem (132). Alibi veritatem Immaculatae Conceptionis confirmat argumento a pari ex consensu fidelium de Mariae Assumptione in caelum cum corpore et anima (133). Hanc rationem argumentandi secutus est, quia eo tempore doctrina de Assumptione erat in tranquilla possessione, dum theologi de Immaculata Conceptione acriter disceptabant. Praeterea intima relatio ipsius Immaculatae Conceptionis ad Assumptionem implicita est in eius doctrina de natura et ambitu primi privilegii mariani.

Immaculata Conceptio mortem Mariae postulavit, ut missionem suam in hoc mundo apte compleret. Mortua autem Maria, Immaculata Conceptio pariter exegit eius anticipatam resurrectionem et corporalem Assumptionem in caelum, ne illa, quae Satanam devicerat per immunitatem a peccato originali, eius potestati succumberet per corruptionem carnis et dilationem resurrectionis. Satanus enim habet «mortis imperium» (Hebr. II, 15),

(130) Cf. C. BALIČ, *De Constitutione Apostolica «Munificentissimus Deus» disquisitio dogmatico-apologetica*, Romae 1951, pp. 3-18; C. DILLENCHNEIDER, *Le sens de la foi*, pp. 314-16; P. PARENTE, «La giustificazione teologica della definizione dogmatica dell'Assunzione», *Echt e commenti della proclamazione del dogma dell'Assunzione*, Roma 1954, pp. 21-23. Secunda pars huius voluminis consistit in amplissima bibliographia, cuius indoles titulo indicatur: *Notitiae bibliographicae de scriptis, ob dogmaticam Assumptionis B. V. Mariae, definitionem, editis* (pp. 175-362). Ex n. 5, *De morte B. V. Mariae*: a) *De facto mortis* (pp. 262-67), b) *De loco dormitionis B. V. Mariae* (pp. 267-68) apparet quantopere Assumptionis definitio repercerit in quaestione de morte B. Virginis. Hucusque tamen nihil novi videtur prolatum esse, quod thesim immortalisticam confirmat.

(131) AAS, *loc. cit.*, p. 766. «Gesù preservò il corpo di Maria dal corrompersi dopo la morte, poichè ridondava in suo disonore che fosse guasta dalla putredine quella carne verginale di cui egli s'era già vestito» (Discorso I, *Glorie*, II, p. 19).

(132) «Or se sarebbe stato obbrobrio di Gesù Cristo nascere da una madre che avesse avuto un corpo soggetto alla putredine della carne, quanto più il nascere da una madre che avesse avuta l'anima infetta dalla putredine del peccato?» (*loc. cit.*; cf. *ibid.*, p. 25, 476).

(133) «si solus fidelium communis consensus certos nos reddit de Mariae in matris suae utero sanctificatione ejusque gloriosa cum corpore et anima assumptione in caelum (ut prò certo docet S. Thomas Angelicus), cur idem communis fidelium consensus nos certos non efficiat de immaculata ejus Conceptione?» (*Concilii Tridentini decreta et canones*, disp. II, sess. V, n. 29. *Opera Dogmatica*, I, p. 495; cf. *Glorie*, II, p. 38).

non solum in quantum eo agente mors per peccatum in hunc mundum intravit, sed etiam in quantum filii Adami propter peccatum ad carnis corruptionem damnantur et vinculis mortis detinentur. Quapropter etiam electi intra se gemunt, «redemptionem corporis expectantes» (Rom. VIII 23), quae non fiet nisi in fine mundi, quando «novissima inimica destruetur mors» (I Cor. XV 26). Tunc denique «corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem, et fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria» (I Cor. XV 53-54). Solum tunc perficietur redemptio electorum per gloriosam corporis resurrectionem. Interim vero, dum mortale hoc corruptioni subjacet, etiam electi in tantum Satanae subsunt potestati.

A qua ignominiosa sorte Maria immunis erat vi ipsius Immaculatae Conceptionis; haec enim revera eius erat redemptio, praeservativa sane omnique ex parte perfecta, qua Beata Virgo plenissimam de Satana reportavit victoriam, ac proinde sicut de peccato, ita in antecessum etiam de morte. Mors vitalis, qualem divinitus subiit, ad hanc ipsam victoriam contulit et saluti generis humani maxime profuit. Mors autem qualis in poenam peccati originalis infligitur, quae scilicet in corruptione sistit et resurrectionem differt, procul ab immaculata Virgine arcenda erat. Nihil laudis Deo afferre posset, nihil utilitatis esset vel nobis vel nostrae Corredemptrici; sed econtra sublimi illo modo, quo in ipsa sua Conceptione redempta est, quam maxime repugnaret, eiusque victoriam in interitum verteret, quum illam Satanae subjiceret potestati, qui huius mortis corruptricis habet imperium.

Praeterea S. Alfonsus saepe animadvertit, Beatam Virginem assumptam esse in caelum, ut per intercessionem suam munere Dispensatricis omnium gratiarum fungeretur (134), atque ita altiori modo perficeret mediationem, quam in sua Conceptione inchoavit, et cuius pleno perfectoque exercitio dilatio glorificationis corporalis impedimento esset. Maria ergo per Assumptionem Advocata nostra plene constituta est (135), quem in sensum ipsa Ecclesia Deum implorat: «Munera nostra, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis commendet oratio: quam *idcirco* de praesenti saeculo transtulisti, *ut* pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat» (136).

(134) *Glorie*, I, p. 281; II, pp. 153-55, 174, 177.

(135) *Glorie*, I, p. 281; II, p. 471.

(136) *Secreta Missae in Vigilia Assumptionis*, a S. Alfonso citata *Glorie*, I, p. 236.

Inde a sua Conceptione Maria pro nobis meruit et intercessit eo modo, qui conditioni eius terrestri convenit. Peracta autem eius missione in hoc mundo, illam oportuit divino principio omnium gratiarum in aeterna beatitudine uniri, iisque dotibus animae et corporis indui, quibus mediationem universalem quam efficacissime perficere valeret (137), ad instar Christi, qui cum humanitate sua glorificata coram Patre sistit, «semper vivens ad interpellandum pro nobis» (Hebr. VII 25). Quo omnimoda Mariae conformitas cum Christo, Filio eius simul ac Redemptore, penitus consummata est, ut cum illo et per illum salutem nostram operari pergeret, donec omnia Christo subjiciantur, et Deus sit omnia in omnibus (1 Cor. XV 28).

\* \* \*

Quo accuratius S. Alfonsi doctrina de Immaculata Conceptione cum multimodis eius relationibus perpenditur, eo clarius apparent unitas et profunditas mariologiae alfonsianae. Menda quidem in scriptis eius non desunt, quorum multa autem fontibus ab illo adhibitis debentur, qualia ceterum communia sunt apud auctores illius aetatis ob methodos litterarias minus accuratas et inopiam documentorum secundum leges criticae editorum. Hoc autem nihil obest praestantiae aurei illius operis, in quo fere omnia Alfonsi scripta mariana colliguntur; ex illo enim relucent ingenii lumen et vigor, iudicii sobrietas, pietatis ardor, quae Doctorem Ecclesiae decent.

Facile autem valor theologicus huius operis eos praeterit, qui illud secundum stylum et genus litterarium aestimant. Variarum enim lucubrationum, ex quibus componitur, non sunt tractatus modo scholastico exarati, nec dissertationes more modernorum. Doctor Zelantissimus, pro temporum adjunctis et indigentis, aliam viam tenuit, quia in alium finem intendit quam disquisitiones scholasticas conscribere, vel bona sua cum solis eruditis communicare. Salutem animarum omnis ordinis quaesivit, ideoque formam litterariam faciliorem usurpavit atque stylum simplicem et demissum, suavem tamen et purum semperque perspicuum, qualem alii Doctores Ecclesiae excoluerunt et commenda-

---

(137) *Glorie*, II, p. 160, 174, 177.

runt (138). Haec autem est ars evangelica, qua altissimae fidei veritates etiam captui humilium et rudiorum accomodantur, et qua virtus quaedam divina in animos legentium sensim illabatur. Et hoc idipsum est quod Pius XII in operibus marianis S. Alfonsi, sicut et in caeteris eius operibus spiritualibus, nuperrime laudavit, quod nempe superna perfunduntur sapientia, omnibusque vitae et pietatis praebent nutrimentum, quapropter nostris adhuc temporibus non minus quam praeteritis adaptantur (139).

---

(138) *Urbis et Orbis concessionis tituli Doctoris, Responsio ad animadversiones*, cap. II, art. V, nn. 77-86, pp. 35-40. Inter Doctores Ecclesiae, S. Thomas stylum omnium simplicissimum excoluisse videtur.

(139) Chirographus die 7 Aprilis 1953 datus; cf. S. ALFONSO M. DE LIGUORI, *Opère spirituali*, serie A, vol. I, *Pratica di amar Gesù Cristo*, Roma 1953, initio.